credendum mundum capere non posse, sed capacitate legentium, quæ fit per intellectum. Quia ergo scimus intelligentiam nostram incapacem eorum esse, quæ de ipsis actis Christi scribi possent, cùm nec scripta exactè intelligamus, sufficiat nobis scripta ad fidē necessaria, & magis vtilia. Quæ studeamus recta fide intelligere, recta operatione exercere, quæ docuit, vt ad bona perpetua perueniamus, quæ ipse Christus suis imitatoribus promisit.

Finis Interpretationis Quatuor Euangeliorum.

EIVSDEM IOANNIS GAGNEII PARISINI THEOLOGI IN ACTVS Apostolorum Scholia clarissima.

Græcè πράξεις non minus Latinè actus, quàm acta verti potest, imò magis, teste Budæo in Commentarijs. Sic autem hic liber Lucæ appellatur, quòd in eo bona pars eorum, quæ de Apostolis Christo assumpto facta sunt, describuntur.

CAPVT PRIMVM.

Christus post varias per. 40. dies apparitiones ascensurus in cœlum promisit spiritum sanctum discipulis suis: secreta autem sua illos præscire negat: videntibus illis ascendit in cœlum, post cuius ascensum loco Iudæ proditoris Matthiam sorte sufficiunt.

†Mat. 5. c
Luc. 24. g
Iacob. 1. b

PRimum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, †quæ cœpit Iesus facere & docere, vsq; in diē qua præcipiens Apostolis per spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.

πρῶτον μὲν λόγον: vbi πρῶτος vice comparatiui sumitur: & cùm λόγος librum ac volumen significet, non incommodè verti potest, superiore libro seu volumine. Duos enim libros Lucas edidit. Priore de Christi, actibus & doctrina, qui est Euangelij Lucæ liber. Altero nascen-

nascentis Ecclesiæ rudimenta, ipsa scilicet Apostolorum acta cõplexus est: quos libros Theophilo dedicauit, siue is Theophilus viri cuiuspiam propriũ nomẽ est, siue suos libros omnibus Dei studiosis atque amantibus, quod Theophili nomen sonat, dedicare Lucas maluit. Quanquam verò similius est, virum quempiam Dei studiosum fuisse, ac Lucæ amicum. Nã si illo nomine vniuersos Dei studiosos comprehenderet, non diceret in prologo Euãgelij sui: vt cognoscas verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Sed & Oecumenius Græcus prouinciæ præsidem, aut magistratum aliquem fuisse putat, dũ ait: ἡγεμὼν ἦν οὗτος ὁ Θεόφιλος, id est, præses erat hic Theophilus. Quòd autem ait: de omnibus quæ cœpit Iesus facere & docere: hyperbaton longum habet, Græcè simul ac Latinè. Græcè est, τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων ὦ Θεόφιλε, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, ἄχρι ἧς ἡμέρας ἐντειλάμενος τοῖς ἀποστόλοις διὰ πνεύματος ἁγίου, οὓς ἐξελέξατο, ἀνελήφθη. Quod ita mihi posse videtur: Priorem quidem librum ô Theophile edidimus de omnibus Iesu actis & dictis, ab initio prædicationis suę, vsque ad diem illa qua assumptus est, dato per spiritũ sanctum mandato ijs quos elegerat Apostolis. Alludere enim videtur ad mandatum illud, quod scribit Marcus vltimo capite: ✠ Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturę. Et Matth. vltimo: docẽtes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis. Et statim subdit Marcus: Et Dominus quidem Iesus, postquã locutus est eis, assumptus est in cœlum. Sensus ergo est: De Christi actis & dictis priorem librum edidimus, ab initio prædicationis Christi Iesu, vsque ad diem qua in cœlum assumptus est, dato prius per spiritum sanctum Apostolis, quos elegerat, mandato de prædicando per vniuersum mundum Euangelio, & baptizando omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nec ignoro τὸ διὰ πνεύματος ἁγίου, & Latinè per spiritum sanctum, referri posse ad τὸ ἐξελέξατο, id est, elegit, dato scilicet mandato Apostolis, quos per spiritum sanctum elegerat. Similiter ad ἀνελήφθη, assumptus est, licet incommodius, propter particulam mediam, οὓς ἐξελέξατο, referri posset, atq; ita sensus esset: vsque ad

✠ Mar. 16. c.

diem

diem qua assumptus est per spiritum sanctũ. Tamen quia Chrysostomus refert τὸ διὰ πνεύματος, ad τὸ ἐντειλάμενος, visum est & mihi vertere: dato per spiritum sanctũ Apostolis, quos elegerat, mandato. Interpretatur autem Chrysostomus dare mandata per spiritum sanctum, spiritualia ad illos verba loqui, aut quod per spiritum sanctum illis præcipiebat, sicut nihil non per spiritum sanctũ agebat. Quod aũt ait, de oĩbus, Græcè, περὶ πάντων, sic interpretatur Chrysostomus: Non vt omnia Christi acta & dicta Lucas scripsisse dicat, neq; de omnibus aliquid. Nam quod de liberata adultera, de suscito Lazaro, de cæco nato, de aqua in vinum mutata, Ioãnes dicit, Lucas tacet, & multa alia. Itaq; interpretatur περὶ πάντων, summatim, & in genere. Ait enim: quomodo igitur, inquiet aliquis, hic Lucas loquitur de omnibus? Atque nõ dixit omnia, sed dixit de oĩbus, περὶ πάντων, perinde ac si dicat quispiam, summatim, & in genere, aut de omnibus loquitur, quæ necessaria sunt, vrgentq́ue. Itaque duplex est Chrysostomo sensus, quòd summatim & in genere tractarit Lucas in Euangelio de his quæ ab initio Iesus fecit & docuit: aut quòd tractarit de omnibus eius dictis & factis, non simpliciter, sed quatenus necessaria sunt ad vitam & salutem. Per acta autem Christi omnia eius miracula, & acta beneficia, mortem quoque ipsam & resurrectionem intelligit. Per doctrinam verò, dogmata, præcepta, sermones, & disputationes eius intelligere debemus. Quòd autem dicit: Quibus & præbuit seipsum viuum: Græcè est: οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα. παρίστημι autem plus significat quẽ præbere, scilicet, repræsentare se, & quasi præsentiam corporis exhibere: quo significato & hic sumitur. Significat enim & hic Lucas: Apostolis se visendum exhibuit viuum multis indicijs: quod hic magis quadrat, quàm argumentis. Ne putes, quòd ratiocinatione & demonstrationibus, sed certis ac verissimis signis & indicijs, vt puta sui palpatione, vulnerum ostensione, & manducatione.

†Luc. 24.g. Ioã.14.d. Infr.2.b. & 19.a.

†*Et conuescens præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, quam audistis (inquit) per os meum.*

Græcè,

Græcè, συναλιζόμενος, quod Erasmus maluit vertere congregans illos, vel congregatis illis, quòd συναλίζω, quandoq; significat congrego. At cùm ἀπὸ τοῦ ἅλος, quod salem significat, à quo ἁλίζω, salio, vnde componitur συναλίζω, quasi conuesci, & communi sale viuere. Sic enim interpretatur Oecumenius Græcus, id est, simul cum illis edens & bibens, hoc est, communi sale, communique mensa vtens. Eóque modo planè Chrysostomus interpretatur, qui cùm multa viuentis sui inditia Christum protulisse dixisset, subdit: ac ne is quidem contentus fuit, sed mensam etiam addidit: nimirum hoc est, quod deinceps dicit: Et conuescens simul cum illis. Sic hoc argumento ipsi quoque Apostoli semper asseruerunt resurrectionis fidem, vt cùm aiunt: qui quidem cibum simul sumpsimus, & bibimus cum illo. At cùm præcepit illis promissionem patris expectare, spiritum sanctum promissionem patris appellat, nimirum quòd Apostolis se spiritum sanctum missurum pater promiserat: quem, inquit, audistis per os meum: siue vt Græca habent, ex me, quod idem est, nimirum cùm diceret illis Christus: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis.

Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies.

De baptismo Ioannis, an gratiam conferret, quóque modo & à baptismo Apostolorum differret, disserũt doctores plerisque locis. Nam Augustinus de baptismo contra Donatistas differentiam Ioannis & Pauli baptismi dedu cit cap. 9. Baptizatos inquit, à Paulo eos, qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent, legimus in Actibus Apostolorum, non ob aliud, nisi quia baptismus Ioannis nõ fuerit baptismus Christi, sed Ioanni à Christo concessus, qui Ioannis propriè diceretur: sicut idem Ioannes dicit Ioan. 3. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. Vnde vt idem ait Augustinus Tra. 5. in Ioannis cap. 1. Qui baptizati sunt à Ioanne, non eis sufficit, baptizati sunt enim baptismo Christi: quia non baptismus Christi erat baptismus Ioannis. Qui accipiũt baptismum Christi, baptismum Ioannis non quærunt: qui acceperunt baptismum Ioannis, baptismum Christi

Augustinus de baptismo cõtra Donat. c. 9. lib. 5.

quæ fierunt. Ioannes enim tantùm baptizauit, non spiritũ sanctum credentibus dedit. Hoc enim saluatori reseruatum est, vtpote Domino, vt filij Dei non fierent, nisi accepto à filio Dei spiritu sancto. Effectus ergo baptismi Ioannis, quod tacitè operabatur sine interrogatione, non tamen sine saluatoris mentione, vt firmũ esset quod agebat. Baptizabat ergo Ioannes in deserto baptimo pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non quòd commissa crimina deleret, sed quo emendaret errantes. Nam remissio peccatorum Christi gratiæ seruabatur. Hæc ille. Quòd si gratia absque spiritu sancto non conferatur, spiritus verò sanctus in hoc Ioannis baptismate nõ conferebatur, sed aqua tãtùm, vt hic. In illo igitur gratia nõ conferebatur, sed tantùm dispositio ad gratiam & remissionem peccatorum, per pœnitentiá baptisatis iniunctam.

†Inf. 2. b. & 19. a. †11. q. 3. ca. Aestimant.

Igitur qui conuenerant, interrogabant eũ: dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momẽta, quæ pater posuit in sua potestate: †sed accipietis virtutẽ superuenientis spiritus sancti in vos, †& eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.

Israël hoc loco datiui casus est: nam Græcè est τῷ Ἰσραήλ. Si, Hebraico more ponitur pro nonne interrogatiuè: quia collapsum iam erat Israëlis regnum, vtpote ad alienigenas redactum. Discipuli autem qui nondum plenè spiritũ acceperant, nonnihil adhuc carnale cum reliquis Iudæis sapientes, sperabant enim fore, vt omnium dominatio ad Iudæos transiret, temporaleque regnum Christus ac Messias obtineret. Quæ spes filios Zebedæi ad postulata sua animauit, & duos discipulos Emmaunta proficiscentes dicere coëgit: Nos sperabamus quòd ipse esset redempturus Israël, ab alienigenarũ tyrannide per regni assecutionem vindicaturus. Aut certè sperabant fore, vt regnum ablatum de tribu Iuda, fugatis alienigenis, Israëli restitueretur, in augurato in regem Messia Christo. Vnde dicunt: Num tu restitues Israëli ac Iudæis regnum ab eorum gente ademptum: Christus autem sic responsum temperat, vt de regno temporali nihil dicat, & curiositatis inanis quęstionem ab eis tollat, dicens:

dicens: Non est vestrum nosse tempora vel monumenta, quæ pater posuit in suâ potestate: sed accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos. quasi diceret: Nolite solliciti esse de regno temporali Israëlis, quasi potentiores in eo essent reges futuri. Satis enim roboris ac virium creditur vobis à spiritu sancto suppeditari, ad conterendos omnes hostes vestros. Ita & vos, qui nunc ad Iudæorum tumultus trepidatis, nec de me nisi clàm loqui audetis, palàm ac liberè de me meaque resurrectione testimonium feretis, non solùm Ieroſolymis, sed in Iudæa ac Samaria, & vsque ad extrema terræ.

†*Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* †Mar. 16.g. Luc.24.g

Ampliorem vitans Christus eorum curiositatem, his solutis quæstionibus, quæ magis illos angebât, cernentibus illis cœpit concendere cœlum: quem viderunt continuò & paulatim, vsq; quo visus hominis extolli potest, ascendentem: quem deinceps videre non potuerunt, sed à nube susceptus, ab eorum oculis ereptus est, iuxta Dauidis prophetiam: ✣Nubes & caligo in circuitu eius, vt omnis creatura suo fabricatori declaretur creatori, astra nascenti & morienti, nubes ascendenti, & iudicium redeunti. De con. dist. 5. Ieiuniũ. ✣Psal. 96.a.

Cumq; intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlũ? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

Græcè, καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν πορευομένου αὐτοῦ. vbi τὸ εἰς οὐρανὸν, referri potest ad τὸ πορευομένου, & tunc sensus est: Cumq; fixis & immotis oculis essent, eunte illo in cœlum. Potest referri & ad τὸ ἀτενίζοντες, & tunc sensus est: & vt contentis in cœlum oculis essent, eunte illo, ecce viri duo, &c. Angeli autem fuerunt, quos viros appellat, qui in virili forma apparuerunt, qui spectantibus Galilæis dicunt: Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodũ vidistis eũ euntẽ in cœlum. Vbi Chrysostomus putat nõ ociosè positum esse, euntem, vt intelligamus suapte illum virtute, non aliena ope in cœlum ascendisse. Quòd autẽ

aiunt: sic veniet: consolantur eos, rediturum promittentes. Et sic inquiunt, veniet, nimirum cum nube, & glorioso corpore, similiter quoq; plagato, iudicaturus orbē terrārum in æquitate, ciuibus cœlestibus sociatus, iuxta illud Isa. 3. ✠ Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.

✠Isa.3.c.

Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, sabbati habens iter.

Mons Olueti, siue Oliuarum, tam propinquus vrbi fuit Ierosolymorum, vt cùm Titus Iudæos fame confecturus murū ingenti opere circum vrbem duceret, partem etiam montis Olueti complexus fuerit. Certè initium montis potest distare ab Ierusalem vno miliari. Id enim hic Lucas indicat, dicens: Sabbati habens iter: id est, tanto itinere distans ab Ierosolymis, quantum sabbato Iudæis conficere licebat, nempe vno miliari, siue duobus mille cubitis. Neque enim Iudæis sabbato vlterius progredi licebat. Oecumenius enim ex Origine exponit iter sabbati esse miliare vnum, dicens: μίλιον ἓν ἡ τοῦ σαββάτου ὁδὸς, ὡς φησὶν ὁ Ὠριγένης ἐν τῷ πέμπτῳ στρώματι, id est, miliare vnum est sabbati iter: vt inquit Origenes in 5. Stromaton.

Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebat † Petrus, & Ioannes, & Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius.

†Matth. 10.a. Mar. 3.d. Luc. 6.c.

Cœnaculum referendum est ad ascenderūt: cùm scilicet Ierosolymam introissent, ascenderunt in cœnaculum: quod expressius habetur Græcè, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον. vbi inquit, manebant Petrus, & Ioannes, & Iacobus, &c. Vbi tribus tantùm Apostolis addit cognomentum, scilicet, Iacobus Alphæi, Simon Zelotes, & Iudas Iacobi, &c. Vbi cùm dicitur Iacobus Alphæi, filius intelligendus est, qui fuit Simonis & Iudæ frater, quem Marc. 15. ca. minorem nominat, ad differentiam maioris & senioris, qui frater Ioannis, quem Beda dicit appellatum

tum Iustum,& Alphæi scilicet filium,& Iudæ fratrem & fratrem Dñi,cuius fuerit Maria Cleophe mater, quæ & soror erat Mariæ. Cleophas autem, vt inquit Egesippus, erat Ioseph frater. Simon autem Zelotes ipse est, qui in Euangelijs dicitur Chananæus, de Chana Galilææ, vbi Christus aquam mutauit in vinum,ortus. Et quia Chana interpretatur Zelus,ipse Zelotes appellatus est.Hunc Euseb.Ecclesiast.histo.lib.3.cap.2.teste,post Iacobi martyrium in Ierosolymorum episcopum omnes vnanimi consensu elegerunt, Iacobo fratri in episcopatu successorem.Iacobus autem Iustus eodem Euseb. teste.lib. 2. cap.23.sic dictus est, quòd ex suæ matris vtero natus sit sanctus, qui pro incredibili continentia & iustitia appellatus est Iustus: qui à Iudæis lapidatus est,postquam Ierosolymis sedit.24.annis.Pro cuius cæde,eodem Eusebio teste, crediderunt Ierosolymorum oppugnationem fuisse secutam. Horum Apostolorum gesta & mores eleganter descripsit Ioachimus Perionius Benedictinus, si quispiam cupiat ampliora videre. Iudas Iacobi Iusti frater, ac Alphæi filius, ab Euangelistis nunc Lebbæus, nunc Thaddæus appellatus est,quem quidam ad Abagarum regem Ediſſæ missum, iuxta Domini promissum, affirmant.

In diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit. Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti. Viri fratres,oportet impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, †qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum. †Psal. 40.c. Ioan.18.a

Qua autoritate fretus hic Petrus primatum inter fratres exerceat, nisi quia se toties alijs prælatum meminit, & spiritu sancto ductu cæteris in Matthiæ suffectione præfertur: quod si aduertissent Antipapæ, non tantum in Romanã sedem insurrexissent. Exurgit enim Petrus, non Iacobus,aut quiuis alius, tanquam is, cui authoritas &præsidentia cæterorum communi omnium decreto commissa erat. Centum etenim simul aderant in charitate vnanimes. Pro hominum autem,Græca habent ὀνομάτων.i.nominum,vt intelligamus certos ac de noie notos hoies fuisse eo numero. Erasm' putat interpretem

vertisse nominũ, sed ab audaculo depravatam lectionẽ. Ego autem cùm nomina pro hominibus vsurpari non videam, nisi fortè pro debitoribus, puto interpretem, vt sensum clariorem redderet, pro ἀνεμάτων, vertisse hominum, cùm Latini omnes codices, ac vetustissimi constanter ita habeant.

Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.

Græcè est κατηριθμημένος, id est, in nostrum ordinem ac numerũ cooptatus, & sortitus, inquit, erat, sortem ministerij huius. Vbi pro sortem, Græcè est κλῆρον, cùm κλῆρος & sortem significet, & conditionem. Itaque melius aut sortem, aut conditionem vertamus, quàm Erasmus, partem. In quo ridiculũ est quod hic annotat quidam, quòd hinc apparet æquã fuisse Apostolis omnibus potestatem, quò dixerit Lucas: sortitus est partem ministerij huius. Si enim partem quisque sortitus est, nemo sanè totum, id est, rerum summam obtinuit. Præclarum sanè argumẽtum, cùm his verbis aliud nihil velit Lucas, quàm quòd sortem & conditionem Apostolatus sortitus erat Iudas, sicut & cæteri vndecim. Neque diuisus erat Apostolatus in partes, vt portionẽ suã quisque acciperet. Sed hoc ille facere videbatur ad tollendum Petri in alios primatũ, qui in hoc satis monstrabat, quis & qualis esset.

†Matth. 27.a. †*Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.*

Pro possedit, Græcè est ἐκτήσατο. κτάομαι autẽ & possideo significat, & acquiro, siue mihi comparo: præstatq; secundo vertere significato, quandoquidem agrum illũ Iudas nó possedit, sed ex recepta emptus est pecunia, vt sit sensus: comparauit agrum de mercede iniquitatis. Quòd si dicas: Neque hic comparauit, sed principes sacerdotum, de quibus Matth. 27. cap. quòd emerunt ex eis argenteis à Iuda redditis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Respõdeo, quòd emisse hic dicitur, quia ex pecunia sua emptus est, ex mercede scilicet iniquitatis, hoc est, ex iniqua & impia mercede innocentis domini sui proditi. Certè Oecumenius κτάομαι interpretatur pro ὠνέομαι, id est, emo, siue comparo.

Et suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.

eius. *Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem ita vt appellaretur ager ille lingua eorum Hacheldema, hoc est, ager sanguinis.*

Græce est, καὶ πρηνὴς γενόμενος, vbi πρηνὴς significat pronum & præcipitem, siue eum qui est capite propendente, & vultu in terram delecto, qualis esse solet eorum habitus, qui laqueo sibi vitam finiunt. Vnde miror ambigere virum quendam alioqui doctum, laqueóne sibi vitam finierit Iudas, an præcipitio: cùm Matthæus expresse dicat: Et abiens Iudas, laqueo se suspendit. Certè Oecumenius Græcus asserit laqueo vsum, sed nondum strãgulatum rupto fune præcipitem illum factum, medium crepuisse. Narrato Iudæ exitu prophetiam subdit.

Scriptum est enim in libro Psalmorum: †*Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea.* †*Et episcopatum eius accipiat alter.*

†Psal. 68.c.
†Psal. 108.b.

Vbi nota quod ad connexionem huius loci. τὸ enim refertur ad id quod præcesserit: Oportet impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda. Quæ verò sequuntur omnia: qui fuit dux eorũ, &c. per parentesim legenda sunt. Sẽsus ergo est: Oportet, magis quàm oportebat (nã de cooptatione in locum Iudæ nõdum facta agitur) impleri scripturam de Iuda. Scriptũ est enim in libro Psalmorũ: Fiat cõmoratio eorũ deserta, & nõ sit qui habitet in ea. Et Episcopatum eius accipiat alter. Vbi duæ priores sententiæ ex Psal. 68. sumptę sunt, vbi desolatio & vastitas Ierosolymorũ futura prædicitur, aliis aũt verbis: Fiat habitatio eorũ deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Tertia verò pars: Episcopatum eius accipiat alter: ex Psal. 108. sumpta est, quæ partim de populo Iudaico in genere, partim de Iuda intelligitur, sicuti totus ille Psalmus: scilicet vt eo mortuo, in episcopatum eius & Apostolatum alter subrogaretur.

Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.

Hoc est, Oportet vnum ex his qui nobiscũ omni tem-

pore conuenerunt & versati sunt, ex quo Iesus inter nos frequentare cœpit (id enim significant hæc verba: intrauit & exiuit: assiduam nempe cum illis Iesu consuetudinem) à baptismate Ioannis, vsque in diem assumptionis, fieri & constitui testem resurrectionis eius. Hic enim erat scopus Apostolorum, ostendere Iesum ad tempus tãtùm esse mortuum, ac vere resurrexisse.

Et statuerunt duos. Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et orantes dixerunt:

Duos solum designauerunt, ne forte maior fieret confusio, si plures reiecti fuissent. Hos autem tanquam cæteris moribus præstantes statuerunt & ordinauerunt. Nec priorem tamen ab hominibus vsque adeò laudatum, & nomine & cognomine conspicuum dignatur Dominus, sed alterum, quem is qui solus cordium scrutator est, melius nouerat, Matthiam scilicet in Apostolatus honorem ostendit assumendum.

Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnũ, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locũ suũ.

Totam electionem in Dei constituunt arbitrium, tanquam absconditorum cognitorem, quique omnia nouit antequam fiant, nec cuiusquam accipit personam, nec in electione fallit, quam dirigit. Ostende inquiunt, quem elegeris ex his duobus vnũ, Græcè est, ἀνάδειξον, ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων δύο ἕνα λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, id est, Designa quem elegeris ex duobus his alterum, vt accipiat sortem & conditionem ministerij huius atque Apostolatus, in quo præuaricatus est Iudas, abijtq; in locum suum. Hic τὸ ἐξ ἧς παρέβη, verto, in quo præuaricatus est: quod frequens Euangelistis est, vnam pro altera propositione vsurpare. Nec admodũ quadrat: ex quo præuaricatus est. Fortasse non malè vertas, vnde excidit. Scio autem commodè verti posse πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, vt abiret in locum suum, referriq; ad Iudam, qui præuaricatus est in suo Apostolatu, & inde excidit, vt abiret in locum suum, ad laqueum videlicet se dignum, atque à se fabricatũ. Vbi τὸ vt, non rei finem dicit,

erit,(neque enim eo fine præuaricabatur) sed euentorum consequentiam. Potest etiam referri ad τὸ ἵνα λαβῶν, vt sit sensus: vt alter eorum quem elegeris, conditionem Apostolatus huius, in quo præuaricatus est Iudas, accipiat, abeatque in locum suum, sibique proprium, vtpote à te ordinatum: vel in locum ipsius Iudæ. Sic enim etiam interpretatur Oecumenius, vt ad Iudam referatur, qui abeat in locum suum, scilicet laqueum, vel suspendium, quo se per proditionem dignum iudicauit: vel ad Matthiam, vt abiret in locum Apostolatus, à quo Iudas exciderat, cui Matthias succedens, episcopatum alter ab eo accepit.

Et dederunt sortes eis, † *& cecidit sors super Matthiam: & annumeratus est cum vndecim Apostolis.*

† 26. q. 2. cap. 1. & cano Nō statum. & cap Non exemplo.

Cùm dicit: dederunt sortes eis: Græcè est, αὐτῶν, id est, eorum. Quomodo autem fiebant huiusmodi sortes, fateor me ignorare, nec quem vidi, qui mihi satisfaciat. Forsan non malè putem nihil aliud Apostolos hic sortitos esse, quàm eorum nomina inscripsisse, & in vrnam misisse, Deumque rogasse, vt eius nomen prius exiret, quem aptiorem huic muneri sciret: quanquam verba sequentia videntur innuere, non tam sorte, quàm Apostolorum suffragijs electum esse Matthiam. Nam pro eo quod interpres vertit: cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cũ vndecim: pro annumeratus est, Græcè est συγκατεψηφίσθη, id est, suffragijs & calculis omnium cooptatus est. De qua sorte vide Tho. 2. 2. q. 95. ar. 8.

CAPVT SECVNDVM.

Discipuli Christi simul cum adiunctis accepto spiritu sancto cum donis suis in die Pentecostes admirationi Iudæis facti sunt, quibus constanter Petrus prędicat Christi fidem, doctrinam, & mores, ex dictis prophetarum: quorum plurimos ad Christi fidem & baptisma inuitans, tandem ad Christum conuertit.

†Sup.1.a. †Mat.3.c. Marc.1.b Luc.3.c. Ioan.1.d.

ET dum complerentur, †dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodē loco. † Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes.

Græca quæ nunc extant, habent τὴν ἡμέραν in singulari, id est, dum compleretur dies Pentecostes. Interpretem legisse putamus τὰς ἡμέρας in plurali, sed nihil refert ad sensum. Sensus enim est, quòd ingresso die quinquagesimo à Paschate & Christi resurrectione, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, cœnaculo videlicet. Pro pariter autem, Græcè est ὁμοθυμαδόν, quod magis significat vnanimiter, vt non tam corporum coniunctionem, quàm animorum & voluntatum consensum intelligas. Erat autem quinquagesima dies à die Paschæ, & ab immolatione agni Paschalis, & egressu filiorum Israëlis de Aegypto, Iudæis ipsis sancta & celebris, quòd ea die data esset lex in monte Sinai: eademque die festum primitiarum celebrabant Iudæi. Rectè itaq; sub id tempus, quo ad solēnitatem diei festi dispersi ex omni natione Iudæi cōfluebant. Perseuerantibus itaq; vnanimiter in eodem loco, vt antè dictū est, in oratione Apostolis, factus est repente de cœlo sonus. Ac bene repēte: nescit enim tarda molimina spiritus sancti gratia, qui vbi & quando vult spirat. Non fuit autem leuis iste sonus, tanquam spiritus ac venti vehementis ac violenti, qui totam domum suo impleuerit flatu.

†24.q.1. cap. Audiuimus.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, †seditq; supra singulos eorum.

Vbi pro dispertitæ, Græcè est διαμεριζόμεναι, quod melius vertit interpres dispertitæ, quàm Erasmus, dissectæ. Nec.n. cōstat an sectæ fuerint linguæ illæ: at cōstat dispertitas ac distributas in eos fuisse qui aderāt. Linguę aūt illæ erāt tanquam ignis, id est, igneæ vt tollas æquiuocum nominatiui & genitiui ignis: nam Græcè est πυρός. Notat autem Chrysostomus rectè dici, tanquā venti, & tanquam ignis, quòd reuera ventus non esset, aut ventus vrens, sed quid in similitudinem eorum: veluti tonitrua, quæ cœperunt audiri super montem Sinai, ac

micare fulgura, & nubes densissima operire mõtem, cùm lex vetus Moysi esset conferenda, vt Exod. 19. Seditq; supra singulos eorũ. Non satis apparet quódnam sit suppositum verbi sedit, & Græci ἐκάθισε, an spiritus vehemens, quod non puto, propter longam distantiam constructionis, an ignis. Crediderim tamen intellexisse Lucam, quòd dispertitæ linguæ tanquã igneæ sederunt supra singulos eorũ. Quòd aũt addidit verbũ singularis numeri ἐκάθισε, non retulit ad vocem dispertitæ linguæ, sed ad rem significatam, spiritum videlicet sanctum, qui per illas linguas significabatur.

†*Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est.* †Inf. 4. d. & 19. a.

Non tantùm gratia gratum faciente repleti sunt Apostoli, qua CHRISTVS resurgens insufflando illos repleuerat, de qua Ioan. 20. sed etiam gratia gratis data, de cuius speciebus 1. Corinth. 12. Ex quibus gratijs omnes scientias, prophetias, & linguas proferre & intelligere possent, ac illos loquentes omnes, cuiusuis idiomatis essent, facilè intelligebant. Vnde cœperunt loqui varijs linguis. Græcè pro varijs, est ἑτέραις, id est, alijs linguis, vt alludat ad id quod CHRISTVS promisit Marci vltimo: Linguis loquentur nouis: quanquam non vna tantùm lingua, vt plerique putant, locuti sint, sed diuersis. Quod hinc conijcitur, quia cùm ex diuersis linguis ac nationibus tunc Ierosolymis conueniissent plerique, audiebat vnusquisque, si quem Apostolorum conueniisset, lingua sua illos loquentes. Neque enim putarim facilè, quòd tantùm vna lingua locuti sint, quæ exaudita sit ab omnibus: quod tamen factum puto prædicante Petro, quem putandum est vna tantùm Hebræa lingua concionem illis habuisse, quam quidem linguam omnes isti diuersarũ nationum, qui postea recitantur, intellexerunt: quippe qui Iudæi essent. Nã Iudæi in dispersione habitantes, atq; extra Iudæam, præter suæ nationis linguam Hebræam etiam callebant. Quod autem ait: Erant autem Ierosolymis habitantes viri religiosi Iudæi ex omni natione quæ sub cœlo est: dubium

bium est, an perpetui incolæ Ierosolymorum fuerint, an adorandi tantùm gratia in die festo Ierosolymam venerint, aut ibidem studiorum gratia commorati fuerint, quomodo olim Athenas ex omnibus locis mittebantur, & nũc Parrhisios, atq; ad alias Academias. Vnde subdit: *Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nónne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? Et quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoq; & Proselyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.*

Nec mirum, si tanta audiens mirabilia mente confusa sit multitudo, quòd hæc in eius virtute fierent, quem tam ignominiosè occiderant, quodq; illos agnoscerent Galilæos, prius inopes manu victum quærentes, tunc omnium hominum linguis disertissimè sapientissimeq; loquentes. Vero simile est enim omnes linguas in confusione Babel distinctas, ipsis Apostolis in vnã, quæ ante confusionem erat, linguam coactas, qua ipsi loquẽtes, vnusquisque pro captu suo intelligebat, & si omnia nosceret genera linguarum. Dubiũ tamen est, an loquentes Hebraicè, Græcus, aut Latinus, Gallus, aut Germanus intellexisset. Omnium quæ hic describuntur nationum, aliqui eos ac propriam maternam linguam loquẽtes intelligebant. Et vt distantia locorum maiorẽ faciat, legentibus admirationem, paucis duximus ea describere, vt & sequẽtibus lectori adminiculo sint & leuamen.

Parthia. Prima harum Parthia dicta, in Oriẽtali plaga, cui sunt affines populi ab ortu Arij, ab occasu Medi, à meridie Carmani, varia per deserta sparsi, à septentrione. Hircani. Huius regia vrbs Hecatompylos, licet aliæ quàm plurimæ & præclaræ sint vrbes in sacris scripturis celebratæ. Huius regionis incolæ Parthi dicuntur.

Media. Media Orientalis est regio, cuius incolæ Medi, & vt Plinius

Plinius inquit, ab occasu transuersa obliquè Parthiæ occurrens vtraq; regna includit. Ab ortu aût habet Parthos & Caspios, à meridie Persas, à septétrione Armeniam. Cuius regia vrbs Ecbatana, in quam decem tribus Iudæorum capta Samaria transtulerunt.

Elam, à qua Elamitæ nuncupati, duplex est, altera in Persia, siue Susiana regione, altera in Media. Contra quam prophetat Ieremias cap. 49. in fine, quòd captiuos detineret Iudæos, & eos supra modum affligeret. Elamitæ.

Mesopotamia vltra Syriam latissimè patet, regio inter Euphraten & Tigrim media, vnde nomen sortita est. μέσος enim medium, ποτα μός, mare, inde Mesopotamia. In hanc venit Abraham cum patre & familia, Vt Chaldæorum fugiens, ibiq; moratus est in Haram, siue Charan, donec à Domino iussus in Palestinam peregrinatus est, Genes. 12. de qua amplius infrà. 7. Mesopotamos.

Iudæa pars quondam Palæstinæ fuit, inter fluuiũ Euphraten, & mare Aegyptiũ. Ab oriente Moabitas, ab occidẽte mare Aegyptium, à meridie Cades Barneas habet, à septentrione Ioppe portu clauditur, qui nunc Iappha dicitur: regio multis celebrata nominibus. Iudæa.

Cappadocia regio Pontica, paruam continens Armeniam. Ab ortu magnam tangit Armeniam, ab occasu Galatiam & Pamphiliam, à meridie Ciliciam, & Taurum montem, à septentrione Euxinum fluuium. In qua præcipua vrbium & regia est Mazaca, quæ postea à Claudio Tiberio Cæsarea dicta est, in qua Basilius Magnus sedit Archiepiscopus. Cappadocia.

Pontus in minori Asia, vrbs septentrionalis est. Ab ortu Colchidem habet, ab occasu Hali fluuio clauditur, ab Austro Cappadociam, & eam præcipuè partem, quæ minorem complectitur Armeniam, à septentrione mare Ponticum, à quo nominata est, tangit, quam Tertullianus optimè cum suo Apostolo Martione suis depingit coloribus, lib. 1. contra Martionem. Regnum quondam Mithridatis regis maximi, quem populus Romanus multis annis ægrè demum superauit. Pontus.

Asia duplex, maior, & minor, quæ mediam totius orbis partem continent. Maior ab India incipit, quam ab Europa fluuius Tanais, ab Aphrica Nilus distinguit. Asia.

Minor,

Minor, quæ pro bona parte Turchia dicitur, præclaræ continet vrbes & regiones, Phrygiam, Cariam Lyciam, Lidiam, Lycaoniam, Cheronesum, Pótum, Bythiniam, Cappadociam, plurimasque celebres prouincias, quas Pius papa longius describit.

Phrygia. Phrygia pars est Asiæ minoris, quæ duplex est. Maior inter Galatiam & Lidiam, ad Pamphiliam, Lisiam, & Cariam vsq; protensa. Cuius præcipuæ sunt vrbes, Ancyra, Symiada, Apamia, Hierapolis, & Cibira. Minor verò Troadi adiacet, ad Galatas vsq; protensa, à meridie Misiam maiorem, à septentrione Bythiniam tangit.

Pāphilia. Pamphilia olim Mopsopia dicta, tota ferè montana, à Tauro monte vsque ad mare protenditur, ab ortu Thracheam Ciliciam tangit, ab occasu Climacem montem, & Phrygiam, à septentrione Pisidiam. Inter huius præcipuas vrbes est Perga, ad quá Paulus cũ Barnaba profectus est, vt patet Act. 13. & ad alias huius prouinciæ vrbes, quę hic designātur, quas speramus ibidē describere.

Aegypt⁹. Aegyptus Asiæ maioris pars, ab oriente partes habet, quæ inter Arabicum sinum, & Nilũ locātur, ab occidēte loca vsque ad Abasēs, & ad 7. ostia Nili, à meridie mari Rubro, & desertis Arabiæ, à septētrione Palæstina clauditur. Quæ fertilissima omnium terrarum fertur, nisi quia accessu interdum destituta, famem sentiat.

Libya. Libya interdum pro tota Aphrica sumitur. Ea verò portio, quæ ab occasu Aegypto adiacet, Libya dicitur, iuxta Mareotidem & Cyrenaicam regionem.

Cyrene. Cyrene vrbs præcipua Cyrenaicæ regionis Libyæ, Aphricæ contermina, Carthaginis quondam æmula, & clarorum virorum memoria percelebris. Cuius incolæ Cyrenei vel Cyrenenses dicti, sicut Simon ille Cyreneus, vel Cyrenensis, in Euāgelio celebratus, pater Alexandri & Ruffi, discipulorum Christi, qui ab ea ortus erat. Hanc autem mercatores nunc Barbariam vocant.

Romani. Et aduenæ Romani. Pro aduenæ, Grecè est ἐπιδημοῦντες, quod significat peregrinantes, siue illic tanquam peregrini versantes. Indicat autem Romanos, qui Ierosolymam diuerterant siue religionis gratia, seu studiorum. Quod verò subdit: Iudæi quoq; & Prosely-ti: vbi Græcè non est quoque, sed τε, & sensus est: Et aduenæ Romani,

mani, Iudæiq; & Proselyti, siue Iudæi fuerint genere, siue Proselyti, hoc est, adsciti ex gentilitate ad Iudaismũ, & Iudæorum religionem. Nec enim hoc loco Iudæos pro ipsa tota Iudæorum natione sumere oportet, imò omnes istos, quos antè nominauit, intelligendum est genere ac religione Iudæos fuisse, alijs tamen in locis, quàm in Iudæa natos regione: ideo inquit, quòd inter Romanos, qui tunc Ierosolymis conuenerant, aliqui Iudæi erant genere ab illis locis orti, vt vero simile est, quòd deuictis per Pompeium Ierosolymis, vel per Antiochum, quidam Romam transierant, vel Syriam, aut Aegyptum, & huius, & cum ijs Romanis genere & religione Iudæi erant, & alij Romani Proselyti, qui scilicet ex meris gentibus ad Iudaismum transierant.

Certes, siue Cretenses, à Creta insula, quæ nunc Candia dicitur, sub Venetorũ dominio maribus vndiq; clausa, ab ortu Carpathio, ab occasu Iouio, à meridie Aphricano, à septẽtrione Aegeo, inter Atticã Græciq, & Cyrenaicam Aphricæ orã media iacet: terra admodũ ferax, & maximè optimi vini, quod dicunt Maluasaicum vinum. Creta.

Arabes, ab Arabia dicti. Ea autem triplex est. Petrea, à Petra vrbe regia eius præcipua, quam Petram deserti vocauerunt prophetæ, Isa. 16. incipientem à Pelusio ad Palæstinam. Altera deserta, quæ ab occasu Petream habet, & sinum Persicum, à meridie fœlicem Arabiam, à septentrione Euphratem. Tertia, quæ dicitur Fœlix, siue beata, à mari Rubro clauditur ab occidente, à meridie Palæstina, cuius vrbs percelebris thurifera Saba est, in sacris scripturis celebrata. Arabia.

Cùm verò dicit: Loquentes magnalia Dei: pro magnalia, Græcè est τὰ μεγαλεῖα, id est, diuinam in se magnificentiam, à spiritu sancto, donoq; linguarum, Deiq; magnificas & admirabiles virtutes. Obuijs enim quibusq; lingua eorum propria diuinam in se largitatem & magnificentiam enarrabant Apostoli, quòd alijs quidem admirationi erat, lingua sua Galilæos loqui audientibus.

Stupebant autem omnes, & mirabantur, ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.

Nec

Nec sine admiratione hæc præsentibus audiri poterant, alijs tamen derisioni, vino & ebrietati tribuẽtibus. Sunt qui putant vna tantùm lingua locutos fuisse Apostolos, sed miraculo factum, vt quisque eos intelligeret, perinde atque lingua sua loquentes. Quod cùm audientium magis, quàm ipsorum Apostolorum miraculũ fuisset, & textus dicat, quòd loquebantur varijs seu alijs linguis, credendum est diuersis esse locutos: alioqui si sua tantùm ab omnibus intellecta, falsum esset quòd loquerentur varijs aut alijs linguis: quanquam in generali locutione Petri, quæ paulò pòst sequitur, vna tantùm, id est, Hebræa lingua locutus est, quam non mirum erat ab omnibus intelligi, cùm Hebræi penè omnes, etiam vbicunque gentium nunc habitant, præter linguam gentis illius, etiam Hebraicam teneant.

Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit & auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia.

Cùm audisset quosdam dicentes musto plenos esse Apostolos, non ferens blasphemiam Petrus, vt quod spiritus sancti opus erat, ebrietati tribueretur, non inquit, sicut vos existimatis, hi musto madent, cùm nondum sit tempus musti aut vindemiæ, sed tantùm veris: nec sunt ebrij, cùm hora diei tertia sit. Ita argumentatur Petrus: Tertia tantùm hora diei est, id est, circiter octauam, quo tempore impransi adhuc sunt homines: non ergo ebrij sunt, sed ieiuni. Iudæi enim ab ortu solis, qui tunc circa quintam vel paulò antè oriebatur more nostro, dies suos auspicantur. Vnde circa Pentecosten, si circa quintam oriebatur, tertia eorum hora, nostra octaua erat. De horis autem Iudæorum in Euangelijs nostris diximus.

†Ioël.2,g Isa.44.a, *Sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioël: † Et erit in nouissimis diebus, (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos,*

&

& ancillas meas in diebus illis † effundam de spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem, & vaporem fumi. †Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequã veniat dies Domini magnus et manifestus. † Et omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

†Ioël.2.b

†Ioël.2.b Mat.10.c. & 24.b. †Roma. 10.c.

Quasi diceret Petrus: Quòd ipsi nunc varijs loquuntur linguis, non est hoc à musto, sed à spiritu sancto, illos ad id agente, quem largiter & abunde receperunt, sicut antè futurum prophetauit Ioël, dicens: Et erit in nouissimis diebus, &c. In quibus prophetæ verbis vocabulò effundam, profusa spiritus sancti, donorumque eius largitio intelligitur. Quod autem ait: super omnem carnem: Hebræo more locutus est, pro supra omnes homines, Iudæos & Gentiles. Nam cùm carnis, tum animæ nomine totum hominem Hebræi significant. In hac autem Ioëlis prophetia duo tractantur: Primum de larga sancti spiritus effusione in Dei seruos, & filios Iudæorum Apostolos. Posterior pars ab eo loco: Et dabo prodigia in cœlo, &c. à quibusdam exponitur de prodigijs & miraculis circa Christi natiuitatem, mortem, & resurrectionem factis, pauloque post ascensionem in primitiua Ecclesia. Prodiga enim, vt aiunt, in cœlo apparuêre, cùm nascente Christo noua stella visa est, multitudoque angelicæ militiæ, cœlesti luce circunfusa. Signa autem in terra data sunt, tot æditis à Christo miraculis. Sanguinem autem, effusum è CHRISTI latere sanguinem exponunt: ignem, spiritus sancti inflammationem: vaporem fumi, Iudæorum excæcationem. Solem versum in tenebras Christi passio vidit. Luna autem quomodo versa sit in sanguinem ante Christi passionem, non facilè explicant, nisi quòd ante eclipsim visa sit rubra, instante Christi passione. Quod autem sequitur: antequam veniat dies Domini magnus & manifestus, siue illustris: nam Græcè ἐπιφανῆ, quod vtrunque significat, Hebraicè verò נוֹרָא nora, horribilis, terribilis: & interpretatur diê resurrectionis. Alij interpretantur posteriorem partem: Dabo prodigia & signa, &c. de signis Ierosolimitanum excidium præcedentibus: alij de

signis futurum iudicium præcessuris.

†Inf.5.d. †*Viri Israëlitæ, audite verba hæc. Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigijs & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis.*

Cùm dicit approbatum, interpres legit ἀποδεδειγμένον, ἀπὸ τοῦ ἀποδείκνυμι, quod significat approbo. Græci tamen codices, qui nũc extant, habent ἀποδεδειμένον, id est, demonstratum, siue declaratum, ἀπὸ τοῦ δείκνυμι. Quod verò sequitur: hunc definito cõsilio: hunc, pleonasmo Hebræorum abundat. Sensus est enim, Iesum approbatum à Deo, &c. definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis. Affigentes enim legendum esse declarat verbum Græcum προσπήξαντες: quanquam in nonnullis codicibus obtinuit pro eo verbum affligentes, genus videlicet pro specie, etsi perparum ad sensum refert. Quod autem interpres legit: præscientia Dei traditum: Græci habent participium λαβόντες, id est, cùm ipsum Dei patris consilio & præscientia accepissetis. Quod autem sequitur: per manus iniquorũ: referri potest ad τὸν ἔκδοτον, vel λαβόντες, & ad τὸ προσπήξαντες. Primo modo sensus est: Hunc Dei præscientia per manus iniquorum traditum cùm accepissetis, vel cùm accepissetis per manus iniquorum. Si referatur ad προσπήξαντες, sensus est: affigentes cruci, videlicet per manus iniquorum.

†Inf.10.d †*Quẽ Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eũ:*

†Psa.15.d †*Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatũ est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea*

†Ibidem. *requiescet in spe.* † *Quoniam non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, & replebis me iucunditate cum facie tua.*

Dolores mortis Chrysostomo & Oecumenio teste vocat calamitates omnes, quæ mortem consequuntur.

Non

Non enim sic intelligit, solutis doloribus mortis, vt dolorem moriens Christus non senserit, sed licet per illos mortuus sit, ab illis absolutus est, nec ex illis corporis passus est corruptionem. Itaq; suscitatum esse Christū, solutis inferni siue mortis doloribus (nam interpres, qui habet inferni, legit ἅιδου: Græci tamen codices habent θανάτου, id est, mortis) nihil aliud est, quàm ad immortale omnino, corruptionisque planè expers corpus surrexisse. Si legas doloribus inferni, notandum, שׁאול seol Hebraicum non modò locum supplicij, tartarum videlicet ipsum significat, sed & sepulchrum, foueam, & mortem ipsam. Quòd verò ait: iuxta quòd impossibile erat teneri illum ab eo: significat quòd impossibile erat Christum diutius, quàm triduū à patre definitū, à morte & in sepulchro detineri. Quod probat ex adducto Psal. 15. ex quo vno præcipuo loco Petrus Christi resurrectionem concludit. Ex parte inquā animæ: quia, vt ait Hiero. propterea illuc descēdit anima Christi, vt electos suos inde eijceret, & diabolum ligaret. Diabolus antea se taliter iactabat, vt omnia regna mūdi haberet: nūc à Christo ligatus tenetur. Ex parte verò corporis, quia nō dabis sanctum tuum, id est, corpus à te sanctificatum, vt cætera corpora sanctificaret, & non videret corruptionem, nec in sepulchro corrumperetur, quod idem est. Quòd autem seiunctum filium ab alijs hominibus dicat, ex hoc patet, quia non sicut alij peccatores in sepulchro iacuit absq; spe resurrectionis, nec anima in inferno, quia vtrūque verbo diuino vnitum fuit.

Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha † 3. Reg. 2. b.
Dauid, † quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsq; in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret quia † iureiurando iurasset illi † Psal. 131. c.
Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedē eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelictus est in inferno, neq; caro eius vidit corruptionē, cuius oēs nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre, effudit donū quod videtis & auditis.

Ex quibus præmissis Dauidis authoritatib⁹ sic argumē tatur Petrus: Dauid cùm propheta esset, hæc verba verè

de quodam prædixit,non autem de seipso,qui apud nos defunctus est,sepultus,& eius sepulchrum apud nos hactenus manet. Non ergo de seipso prophetauit, sed de quopiam, cui iurauit Dominus, quia sederet super sedē suam : & cuius prouidens resurrectionem prophetauit, quòd neq; anima ab inferis detineretur, nec caro videret in sepulchro corruptionem, quemadmodum ipsius Dauid caro antea vidit. De Christo igitur,& eius resurrectione hæc dicta fuerunt.

†Psal. 109.a. *Non enim Dauid ascēdit in cœlum. Dicit autem ipse:* †*Dixit Dominus Domino meo,sede à dextris meis, donec ponā inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Ostendit quòd quemadmodum Dauid prædixerat fore,vt Christus ad vitam planè immortalem, atque interitus & labis nesciam resurgeret,ita fore, vt in cœlos ad dexteram Dei patris ascenderet. Hoc autem probat ex Psal. 109. vbi ait Dauid : Dixit Dominus Domino meo,&c. id est,Dominus pater dixit Domino meo christo,sede à dextris meis. Nam de Dauide non potest intelligi locus,qui se non Dominū suum vocasset. Quibus verbis Matth.22.Christus Pharisęis probauit,Christum non esse purum hominem,aut Dauidis omnino filium.

Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum meum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis.

Hoc est, Norint vniuersi Israëlitæ, quod Iesus ille, quem vos crucifixistis, constitutus est à Deo patre Rex
*Psal.2.b & Dominus vniuersorum: sicut ait Psal.2. ☼ Ego autē constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Constituitque illum Christum, id est, vnctum, &
☼Psal. 44.b. Messiam, sicut de eo Dauid prædixerat. Psal.44.☼ Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

†Matth. 4.c. Marc.1.c. Luc.3.a. Apo.2.d. *His autem auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos:* †*Pœnitentiam inquit,agite,& baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum*

num spiritus sancti.

Tantis his conuicti prophetijs & rationibus plurimi Iudæorum, quorum cõscientia vicerat indignationem, & metus odiũ, Petrũ & cæteros rogant Apostolos, quid illis facto opus sit, vt remissionem cõsequi possint peccatorum. Quibus indicit pœnitentiam in Christum admissorum: vt digni baptismum consequi efficiamini in remissionem peccatorum vestrorum: sed & spiritus sancti dona, quæ tantum in nobis admiramini, videtis & auditis.

Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Alijs etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione ista praua. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria milia.

Confirmant hæc verba quod dixerat: accipietis donum spiritus sancti: ne desperarent propter Christi mortem à se procuratam, quasi eam gratiam assequi nõ possint. Quia inquit, & vobis, & filijs vestris, sicut ab eo audistis, facta est repromissio: nec vobis tantùm, sed & gentibus etiam, quę longè nunc sunt à Deo per idololatriam, quam ad fidẽ vocare Domino Deo visum fuerit.

Erant autem perseuerãtes in doctrina Apostolorum, & cõmunicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor. Multa quoq; prodigia & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant: & metus erat magnus in vniuersis. † Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. †Inf. 4. d

Fractionem autem panis, quam hic communicant, dicimus eam esse, de qua Paul. 1. Cor. 10. Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? perceptionem Eucharistiæ intelligere oportet illam, quam in principio frequentare cœperũt. Nam si conuiuia sua & ἀγάπας nos intelligere oportet, nó esset hoc laudis, vt perseuerarẽt in conuiuãdo quia vita fuisset Epicureorũ. *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, &*

frangentes circa domos panem, sumebant panem cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.

Pro circa domos, Græcè est κατ' οἶκον, id est, per singulas domos, quasi dicat, domatim, & Gallicè, *de maison en maison*. Frangere autem panem hic more Hebræo sumitur pro epulari: quanquam hoc parcè & modicè, vt alimentum intelligas, & non delitias, vt annotat Chrysostomus: quanquam hic præcipuè pro Eucharistię participatione sumi consueuit.

Dominus aũt augebat qũi salui fierent quotidie in idipsum.

Pro augebat, Græce est προσετίθη, id est, addebat, siue adiungebat, & Græci aiunt, τῇ ἐκκλησίᾳ, vt sit sensus, quòd adiungebat quotidie Ecclesiæ, qui salui fierent. quod aũt interpres habet, in idipsum, Græcè, ἐπὶ τὸ αὐτό, id est, simul, Græci addunt initio sequentis capitis.

CAPVT TERTIVM.

Petrus & Ioannes ascendẽtes in templum oraturi, claudum natum curauerunt, cuius signi occasione Petrus Christum ostendit verum Messiam, Abrahæ promissum, per Moysem & prophetas in lege præuisum.

† Infr. 4. c. & 14. b.

Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. † Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur, quẽ ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.

In hoc magna amborum apparet charitas, qui in cœna super Christi traditione collocuti sunt, in passione Christum vsque in pontificis atrium secuti, ambo in sepulchrum die resurrectionis cucurrerũt, in Galilæa post resurrectionem alter alterum Christo commendat, & tam ante conuersionem, quàm post resurrectionẽ Christi simul piscabantur: inde ascendebant in templum oraturi hora nona, computando more Babyloniorum, & Iudæorum, circiter tertiam à meridie. Hic autem Græci addunt, τὸ ἐπὶ τὸ αὐτό, id est, simul scilicet ascendebãt, quod

quod satis innuitur per copulam coniunctionis, cùm dicit: Petrus & Ioannes ascendebant. Et quidam vir, qui erat claudus, &c. & sequitur: quem ponebant ad portam templi, quæ dicitur speciosa. Hanc portam quidam dicunt Ioathan filium Oziæ regem Iuda ædificasse cæteris sublimiorem, & propterea à Iudæis vocatam speciosam. Alij dicunt eam ab Herode loco eiusdem ædificatam. Hic enim decimo octauo regni sui anno, quo sibi Iudæos conciliaret, quibus inuitis Iudææ regnum à Romanis adeptus fuerat, ad templum extruendum conuersus, incredibili ipsum magnificentia spacio octo annorum erexit, additis porticibus vario opere visendis: sed & portis templi magnitudine & artificio adeò præstantibus, vt vnam ex illis vulgò speciosam appellarent.

Is cùm vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet. Intuens autē in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum nō est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. † In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehēsa manu eius dextra, alleuauit eum: & protinus consolidatæ sunt baſes eius & plantæ. Infr. 9. d.

Vt igitur Petrus sua dicta signis confirmaret, peruenitur ad miraculum. Claudus Petrum aspiciebat, sperans se aliquid ab eo accepturum, Petrus etiam claudum aspiciebat, sperans se aliquid illi daturū, præuenit tamem Petrus petens quid à claudo: quid peteret, sperās se maiora illi daturum, quàm postulare posset. Nec spes vtrunque fefellit: quoniam & Petrus pecunia carens contulit quibus abundabat beneficia, & claudus recepit quę nunquā dona speraſſet. Vnde pro summa eleemosyna Petrus sanitatem claudo contulit, & tactu Petri consolidatæ sunt baſes eius.

Et exiliens stetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quòd ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat, ad speciosam portam templi: & impleti sunt

stupore & extasi in eo quod contigerat illi.

Erectus autem claudus, qui nondum ambulare nouerat, parumper cœpit firmare gressum, & exinde audens ambulare, imò & salire: vnde Græcè dicitur, περιπατῶν, καὶ ἁλλόμενος, id est, deambulans, & saliens, ne tantummodo intelligas exultantem præ gaudio, sed etiam vt se perfectè sanatum ostenderet, motu corporis saltantem. Sic enim Oecumenius Græcus inambulans & saliens, quasi iam propter saltum propemodum ignoraretur is qui paulò ante adeò tardus erat, vt ad progressum aliorum egeret auxilio, qui eum quotidie ad portam templi deferrent. Quod autem ait, extasi, maxima intelligitur admiratio, qua quis alienatur quasi à seipso. Et vt ait ✠Aug. in Psal. 30. Augustinus. ✠ Verbum extasis Græcum est, Latine, quantum datur intelligi, verbo vno exponi potest, si dicatur excessus. Excessus autem mentis propriè solet extasis dici. In excessu verò mentis duo intelliguntur, aut pauor, aut intentio ad superna, ita vt quodammodo de memoria labantur inferna. In hac extasi fuerũt omnes sancti, quibus arcana Dei mundum istum excedentia reuelata sunt.

Cùm uideret aũt Petrum & Ioannẽ, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes.

Interpres legisse videtur συνδραμῶντες, id est, cùm vidissent: quanquam Græca, quæ nunc extant, longè secus habeant. Neque tamen propterea vulgatam versionem mutare debebat audaculus librarius, sed annotare sufficiebat ad marginem Græcam lectionem, quæ sic habet: κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλὸν τὸν πέτρον καὶ ἰωάννην, id est: Cùm teneret autem claudus qui sanatus fuerat, Petrum & Ioannem: quasi, vt inquit Oecumenius, ægrè ab illis diuelleretur, metuens ne si ab eis disiungeretur, rursus eum protinus morbus corriperet. At sensus nostræ editionis melius quadrare videtur. Quòd autem meminit porticus Salomonis, aduerte quòd Dauid dedit filio suo Salomoni descriptionẽ porticus illius & tẽ- ✠3. Reg. 6. a. pli, vt 1. Paral. 28. Dicitur aũt 3. Reg. 6. quòd ✠Salomõ ædificauit altare Dño, & porticũ, quę erat ante templum 20. cubitorum longitudinis, & 10. cubitorũ latitudinis.

Hanc

Hanc Salomonis porticum ad vsque illa tempora extitisse, vnamque ex totius templi incendio integram superfuisse, testatur Oecumenius: αὕτη μόνη στολὴ ἕστατο ἀπὸ τῆς καταστάσεως ὁλομώντος ἐνέπρησε γὰρ τὸ ἱερὸν ναβουχοδονοσὸρ, καὶ ᾠκοδόμησε κύρος ὁ περσῶν, id est: Sola hæc porticus stetit superfuitque ex ædificio Salomonis, incendit enim templum Nabuchonodosor, & ædificauit Cyrus Persa, Itaque cùm sola ex tanto ædificio Salomonis supereſſet, obtinuit vt porticus Salomonis diceretur. Alijs videtur eam porticum cum toto templo ab Herode ædificatam esse, & propter elegantiam operis primi conditoris nomen retinuisse.

Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlitæ, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrũ nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti.

Quanuis sancti virtute naturali aut acquisita ædant miracula, virtute tamen diuina & diuinitus sibi indita miracula faciũt, vt Matth. 10. ✠ Et fecit vt essent duodecim cum illo. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia. Et Marc. 3. ✠ Dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia. Apostoli igitur accepto spiritu sancto, simul acceperũt gratias gratis datas, de quibus Paul. 1. Cor. 12. Quanquam ex hoc loco neoterici traxisse putent, miracula non propria hominis virtute, sed sola Christi in cœlo sedentis virtute fieri: non aduertentes quid præcipuè Petrus intendat, nempe vt Iudæorum animos in Christum conuertat, à quo hanc imprimis nacti sint virtutem & potestatem edendi miracula ministerialiter, & tanquam diuinæ illius virtutis instrumenta. Pro eo autem quod dicimus, potestatem, Græca quæ nunc extant, habent εὐσεβίᾳ, id est, pietate aut religione, Interpres legit ἐξουσίᾳ, id est, potestate: quod magis quadrat. Nam reuera non sua potestate naturali, & inde pendẽti, sed fide & pietate, & dono gratuito miraculum hoc operati sunt. Ideo præcipuum &

✠ Matth. 10. a.

✠ Marc. 3. b.

principalẽ huius miraculi authorem, Deũ videlicet vniuersorũ dicit, qui tãdem hominum misertus, filium suũ misit ad homines à se prius electos. Illum aũt in manus tradiderunt alienorum, negantes eum esse regõ suum, sed potius Cæsarem idololatram in suum regem prælegerunt, licet iudex eum omnibus vijs liberare contenderet. Vnde vbi dicimus, iudicante illo dimitti: Græci dicunt, κρίναντος ἐκεῖνον ἀπολύειν, id est, cùm statuisset ille liberũ eum dimittere, non passi sunt eum liberari. Vnde subdit:

†Matth. 27.b. Mar.15.b. Luc. 23. c Ioã.18.g. *†Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, authorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis eius, hunc quem vos vidistis & nostis, confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.*

Iudæi itaque qui prophetias nouerant, & Christi gesta, miracula, & doctrinam iuxta prophetarum scripta conspiciebant, neci eius pro virili consentiẽtes, vt iudex eum morti traderet, liberato homicida insistebant. Iudex verò & prophetarum, & Christi miraculorum nescius, illum liberare volebat. Vnde Oecumenius: Efficaciter probat Petrus, quòd Christum absoluere potuerunt. Nam si homicidam absolui fecerunt, qui reipublicæ vt seditiosus maximo esset nocumento, quantò magis innoxium, pacis & vitæ authorem liberare potuerunt, quem tamen insontem ad mortem iudicari curauerunt, nomen eius perpetuò extinguere nitentes: quem contra eorum voluntatem, & præter spem Deus à mortuis, imò seipse suscitauit. Cuius resurrectionem prophetarum confirmat testimonijs, quam suprà satis probauit, sed omnium Apostolorum & discipulorum testimonio relinquit indubitatam. Hic autem, quem prius claudum vidistis in fide eius sanatus est, & consolidatus: imo sola nominis inuocatio ipsum solidauit.

†Eccleſia ſtici.17.c. Ezec.18.g Mat.4.c. *Et nunc fratres scio quia per ignorantiam feciſtis, sicut & principes vestri. Deus autem qui prænunciauit per omnũs prophetarum, pati Christum suum, sic impleuit. †Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.*

Quòd

Quòd Iudæi CHRISTVM ignoranter occiderunt, probat Apoſto. 1. Corinth. 2. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Iudæorum autem quidam principes erãt, ſcientes quæ prædixerant futura prophetæ, quæ in CHRISTO cognoſcebant, niſi excæcaſſet eos malitia eorum, propterea in CHRISTO Deitatis myſterium ignorabant. Nec ideo ignorantia eorum excuſabat eos à peccato, quæ quodammodo affectata erat, quia inuidiam in eum conceperunt, qua omnia Chriſti dicta & facta in peius verterunt: nec ideo excuſabiles erat, vt Ioan. 15. ✠ Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Inferiores verò dicta prophetarum ignorantes, vt plurimum principibus aſſentiebant, à quibus vt plurimum ſeducebantur. Veruntamen quia non tantum conciliauerunt odium, ideo facilè audita doctrina CHRISTI, & viſis ſignis, ad CHRITI fidem cõuertebantur. Quos ideo Petrus exhortatur ad reſipiſcentiam, vt peccatorum conſequantur remiſsionem. Marc. 1. c. Lucæ. 3. b & 13. a Apo. 2. d. ✠ Ioan. 15. d.

Vt cùm venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, & miſerit eum qui prædicatus eſt vobis Ieſum Chriſtum, quem oportet quidem cœlum recipere, vſque in tẽpora reſtitutionis omnium, de quo locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſeculo prophetarum.

Tempora refrigerij dicens, oſtendit futurum, vt in multas miſerias & calamitates Iudæi incidant. Tempora autem refrigerij Græci interpretantur, vel tempora reſurrectionis, in quibus planè deuicta morte ad vitam immortalem perpetuum refrigerandi refocillandiq́ue ſurgent electi. Interpretantur etiam dies qui conſecuti ſunt vehementem illam Ieroſolymorum expugnationem, & captiuitatem, qui dies propter electos abbreuiati ſunt, vt credentes inuenirent refrigerium, & ſeruarentur à vehementi illa miſeria & neceſsitate. Hoc autem loco: vt cùm venerint tempora refrigerij: cùm nihil ſequatur verbis illis reſpondens, manifeſta eſt eclipſis, ſupplendumq́ue eſt, ſalui ſitis, aut aliquid ſimile. Quod autem dicit: quem oportet quidem cœlum ſuſcipere:

Occu-

Oecumenius Græcus asserit, τὸ δεῖ esse positum ἀντὶ τοῦ ἔδει, id est, oportet pro oportebat quidem in cœlum recipi. Et ad vitādum amphibologiæ incōmodum ita vertere posses: quē opportebat quidem in cœlū recipi, vsq; ad tēpora restitutionis omniū, id est, vniuersalis iudicij. Quę locutus est Deus, id est, de quibus locutus est deus.

†Deut. 18.d. *Moyses quidem dixit: Quoniam † prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquā me ipsum audietis, iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Erit autem, omnis anima quæ non audierit prophetam illum: exterminabitur de plebe.*

Quod autem dicit, refertur ad id quod antè præcessit: & misit eū qui prædicatus est, siue antè prædicatus est vobis: nam Græcè est προκεχηρυγμένον. Etsi tanquam seipsum audiendum iubet Moyses, non designat omnimodam similitudinem, quoniam Christus absque comparatione Moyse maior est, & attentius audiendus. In hoc tamen quædam est similitudo, quoniam vterque Israëlita, Leuita, & sacerdos: hunc persecutus est Herodes, illum Pharao: infantes propter vtrunque occidi iubentur: vterque legislator, hic veritatem, ille figuram prænunciabat. Et propterea hic magis, quam ille audiendus & susciipiendus. Quia igitur hic veritatem tantumdem exexpectatam, suique discipuli prædicant, audiēdi sunt sub pœna damnationis & deletionis de numero electorum, & libro vitæ.

Et omnes prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, & annunciauerunt dies istos. Vos estis filij prophetarum & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abrahā: †*Et in semine tuo benedicētur omnes familæ terræ.*

†Genes. 12.c. Quoniam à tempore Samuelis plures fuerunt prophetæ, quàm antea, ideo prophetias à Samuele incipit, quæ de primo Christi aduentu prædicauerunt, qui omnium fuerit finis prophetarum, vt Luc. 16. ✠ Lex & prophetæ vsque ad Ioannem, & omnes præuiderūt, & scripserunt dies istos. Quod autem dicit: Vos estis filij prophetarū: Græcè est, ὑμεῖς ἐστε υἱοὶ τῶν προφητῶν, καὶ τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο ὁ θεὸς πρὸς τοὺς πατέρας ὑμῶν. Quod ver-

✠Lucæ 16.d.

vertere posis: & pacti seu fœderis, quod pactus est Deus cum patribus. Vbi διαθήκη hoc loco pollicitationem Abrahamo factam à Deo de nasciturο ex eius semine saluatore significat, quam testamentum appellare interpres Latinus solet, quòd testatoris morte demùm confirmata est illa pollicitatio, vti non nisi testatoris morte validum est testamentum: quemadmodum inquit Paul⁹ ad Heb. 8. διαθήκη itaque in singulari pactum magis & pollicitationem significat, in plurali autem significat testamentum: quanquam in singulari etiam pro testamento nonnunquam inueniatur, vt vult Budæus in Commẽtarijs. Vbi autem Budæus legit διαθήκης ἧς ἔθετο, Græca Stephani habent, διέθετο. Cùm autem vtrunque accusatiuum regat τὸ ἧς, oportet esse genitiuum instrumentalem, vt sit sensus: Vos estis filij prophetarũ & pollicitationis, per quam pactum & fœdus inijt cum patribus nostris Deus. Filij enim fœderis Hebræo more sunt, qui partem & portionem habent in fœdere.

Vobis primum Deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisq; à nequitia sua.

Hic Petrus spem illorum ad potiora erigit. Existimabant enim gratia & misericordia indignos, atque salute, quòd salutis autorem, & gratiæ largitorem nuper in crucem egerãt: quamobrem nó vero simile erat, vt eos deinceps curaret. Quod longè aliter Petrus illis nunciat, Christum illis benedicentem, & remissionem facinoris pollicitantem. Non tamen mihi satis aptè vertere interpres videtur, & multò minus Erasmus, dum vertit: ita vt vnusquisq; cõuerteret se ab iniquitatibus suis. Neq; n. ἐν τῷ ἀποστρέφειν, ita vt conuerteret, verti debet, sed cũ Græcè ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογοῦντα ὑμᾶς, ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν, id est, misit eum benedicentem seu benefacientem vobis, dum vnumquemq; vestrum à vestris nequitijs conuertit. Nam εὐλογεῖν & benedicere, & benefacere significat.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Petrus & Ioannes à Iudæis inclusi in crastinum, examinantur super claudi curatione: qui intrepidè respondent in nomini Iesu suscitati hoc fecisse, in quo solo salus est figenda. Quos igitur à se Iudæi eijciunt, qui cæterorum concioni redditi, orantes spiritum sanctum recipiunt, ad quorum consortium plurimi confugiunt, venditis omnibus bonis suis, & in communitate positis.

†Infr.5.c *Loquentibus autem illis ad populum, superuenerunt sacerdotes & magistratus templi, & Sadducæi, dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in Iesum resurrectionem ex mortuis:* † *& iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum. Erat autem iam vespera.*

Nec sua Iudęis impietas in Christum ac doctrinā eius sufficiebat, nisi in discipulos etiam eius animaduerterent, nitentes contra Dei dispositionem & prouidentiam: atque etiam secus quàm sperabant accidit qui quanto spiritus sancti flammam extinguere nituntur, tanto amplius accēdunt. Quod autem dicit: & annunciarent in Iesum: Grecè est ἐν τῷ Ἰησοῦ, id est, in Iesu atque ita puto vertisse interpretem, hoc est, de Iesu. Alij autem interpretantur non solum Iesum resurrexisse, sed omnes per Iesum resurrecturos. Quod verò sequitur: Et posuerunt eos in custodiam in crastinum: Græcè, εἰς τὴν αὔριον, id est, vsq; ad posterum diē, sequenti scilicet die ab illis iudicandos. *Multi autem eorum qui audierunt verbum, crediderunt. Et factus est numerus eorum quinque milia.*

Hic conijcere potes verbi Dei efficaciam, quia tam paruo tempore tot crediderint contra principum suorū obstinationem, quos videbant post magistrum persequi discipulos, & illos in carcerem conijci: quos Iudæi occultè examinare quærebāt, ne in responsionibus suis auditores redderent audaciores.

Factum

Factum est autem in crastinum, vt congregarentur principes eorum, & seniores, & scribæ in Ierusalem, & Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio, interrogabant, in qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?

Congregantur itaque omnes magiſtratus templi cum Anna principe ſacerdotum, qui populum contra eos concitauit. Hunc credunt tunc ſummum fuiſſe pontificem: quum enim maximus pontificum, adeoque callidiſsimus eſſet, atqui cùm Caiphas anno paſsionis Chriſti pontifex eſſet, alternatim autem ſibi ſuccedebant, verò ſimile eſt Caipham tempus ſuum in Phaſchate finiſſe, & tunc ad Annam pontificatum redijſſe. Aut vt docuimus in Euangelijs, principem ſacerdotum dici non modò pontificem anni illius, ſed quicunque prius fuerant pontifices, eo nomine perpetuò donarentur. Conuocata igitur multitudine & cœtu doctiorum, iubent adduci coram ſe Apoſtolos, tanquam pauperes, & idiotas, vt eos in concilio ſuo confutarent & terrerent, petentes in cuius virtute aut nomine claudum ſanaſſent. Illi itaque ſperabant Apoſtolos tāquam vinctos timere palàm metu pœnæ fateri veritatem.

Tunc repletus ſpiritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & seniores, audite: Si nos hodie iudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt, notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſraël, quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.

Quoniam ✣ vbi ſpiritus Domini, ibi libertas: ideo Petrus ſpiritu ſancto repletus, liberè & intrepidè principibus populi & ſenioribus loquitur, & quod occultum fieri curabant, Petrus vniuerſo populo Iudæorum cupit manifeſtum iri & publicum. Veruntamen illos Petrus modeſtè perſtringit, quòd in eorum commodum, ſi ſaperēt, hoc factum acciderat, in quo maximè lętari debeāt, quia ✣ 2. Cor. 3. d.

quia salus eorum tantopere expectata & desyderata aduenerat, Messias scilicet ille patribus promissus, à prophetis prædicatus, & à populo desyderatus, quem licet crucifixerint, illum tamen Deus suscitauit à mortuis, & in eius nomine & virtute hic claudus sanatus est. In hoc autem quod dicit: Si nos hodie iudicamur in benefacto hominis infirmi, &c. Græcè est, εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, ἐν τίνι οὗτος σέσωται, id est: Si nos hodie ad quæstionem habendam producimur ob beneficium homini infirmo præstitum, quo tandem ipse modo saluatus est. ἀνακρίνω enim significat informationem facere, examinare, discutere, & indagare.

†Psalm. 117. d. Isa. 28. d. Mat. 21. g Mar. 12. c Luc. 20. c 1. Pet. 2. a Rom. 9. g

† *Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

Græcè est articulus ὁ λίθος, id est, lapis ille, de quo Isa. 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, precioſum, fundamentum fundamine: qui crediderit, non festinet. Super quod Hieronymus. Hic lapis dicitur angularis, quia circuncisionis & gentium populos copulauit. de quo & in Psalmo dicitur: Lapidem quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Isti sunt ædificantes & cementarij, qui nunc appellantur viri illusores, & principes populi, qui sunt in Ierusalem, principes scilicet sacerdotū, & Scribæ, & Iudæorum doctores, quibus cōmissa cura fuerat ædificandi & perficiēdi populum in fundamēto legis, vt facilius illo lapide construeretur Ecclesiæ ædificium, ex Iudæis & gentibus coagmentatum. Hic tū lapis ab illis reprobatus, tanquam inutilis & contrarius

‡Sap. 2. e

eorum operibus. de quo Sap. 2. ‡ Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Hic ergo lapis aptus erat vtrunque coniungere parietem, ex electis Iudæorum, & Gentilium: & licet à Iudæis præcipuis reprobatus, factus est in caput anguli in ædificio ecclesiæ & fidei, faciens vtrunque in vnum: & à nullo alio expectanda est salus.

Viden-

Videntes autem Petri constantiam & Ioannis, comperto quòd homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant: hominem quoque videntes stantem cũ eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere, & conferebant ad inuicem, dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem manifestum est, & non possumus negare. Sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc vlli hominum.

Cùm verò Petrum doctissimorum caterua cinctum, at intrepidum cernerent principes, non possunt non mirari, vtpote quem nouerant indoctum, & idiotam: nihilominus quia Christi discipulum nouissent, & paria signa facientem, quæ etiam negare non poterant, inter se valde anxij erant. At cùm Apostolos per carcerem emollire tentassent, nihilominus fortiores euasisse videbant, & sanatum illos iam sequentem, & defendentem, nihil aliud quàm interdicere, ne in tali prædicarent nomine, procurabant. Quibus dictis illos extra concilium suum eijciunt.

Et vocantes eos, denunciauerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. † *Petrus verò & Ioannes respondentes dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos, non inuenientes quomodo punirent eos, propter populum: quia omnes clarificabant id quod factum fuerat, in eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo in quo factũ fuerat signum istud sanitatis.* †Sup.3.c.

Quod dicit, denunciauerunt, Græcè est παρήγγειλαν, quod significat interdixerũt. Sẽsus ergo est: interdixerũt eis, ne omnino in nomine Iesu loquerẽtur, aut conciona rentur. Nec aliud audent illis inferre molestum, quia timebant populum contra se concitari. Petrus igitur &

Ioannes ductore spiritu sancto rem totam aduersariorum committunt iudicio, an videlicet magis Deo, in his quæ Dei sunt, quàm hominibus obediendum sit, iudicent. Quos igitur Iudæi audientes rubore perfusi non audent detinere, aut palàm vel occultè occidere, siue ad Pilatum ducere condemnandos. Nec omnino talia audêt propter populum, qui eos magni faciebat, & illustrabat, propter factum inauditum in homine ab vtero matris claudo, & iam. 40. amplius annos agente.

Dimissi autem venerunt ad suos, & annunciauerunt eis quanta ad eos principes sacerdotũ & seniores dixissent. Qui cùm audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui fecisti cœlũ & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: † *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterũt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israël, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.*

† Psal. 2. a.

Audientes autem cæteri discipuli, quid Petro & Ioanni contigisset, non possunt non prorumpere in reddẽdas Deo gratias: ideo vnanimes Deum exorant, non vt hostium persecutiones & molestias illis auferat, sed vt verbum suum ex animi sentẽtia & bene succedat: nec ab eorum manibus poscunt liberari, sed tantùm vt Euangeliũ suum liberè etiam coram ipsis loquantur. quasi dicerent: Fac eos Domine inania aduersus nos meditari, sicut aduersus Christũ meditati sunt, & inane bellum aggressi, in deteriorem exitum peruenerunt. Quis enim prosper expectetur exitus, si opus contra opificem, lutum contra figulum arma sumere tentet? Quemadmodum enim Herodes & Pilatus, Caiphas & cæteri Iudæorum inania aduersus Christum arma sumpserunt, vt ipsius nomen extinguerent, & Romanorum manus euaderẽt, oppositum tamen illis contingit, quia nomen Christi tãto magis exaltauerunt, & in manus Romanorum deuenerunt. Ita Apostolos persequentes inania tantùm sunt meditati.

Et

Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad sanitates, signa & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Iesu.

Nec propterea vindictam in eos à Deo postulant, sed tantùm ne eorum minæ & persecutiones impediant promulgandum Euangelium, sed illud liberè & magna cum constantia loquantur Apostoli: & in potestate tua ad verbi tui confirmationem signa edant, eo quòd ad sanitates signa & prodigia manum tuam fieri extendas. Vbi profieri, Græcè est γίνεσθαι, quod clarius verteretur per gerundium, vt sit sensus: in eo quòd manum tuam extendas ad sanitates, & signa & prodigia facienda.

Et cùm orassent, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebãtur verbum Dei cum fiducia. †*Multitudinis autem credentium erat cor vnũ, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

†Sup.2.a Infr.19.a. Dist.8.c. 1.1.q.2.c. 1.12. q.1. ca. Dilectissimi illi autem De summa trinit. Damnamus.

In hoc autem terræ motu fiunt Apostoli certiores super orationis suæ exauditione, tam quod ad principum terræ victoriam, quàm ad piorum aures ad verbi Dei assensum demulcendas, & animos eorum attrahendos, vt deinceps verbum Dei constanter prædicare audeant. In hoc etiam apparet, quantum profuerit illis oratio, quia illos charitate spiritus sancti repleuerit, vt quãuis magna esset multitudo, cor tamẽ vnum omnium, & anima vna, ita vt quicquid amaret aut vellet vnus, hoc & cæteri omnes: sed & diuitias suas communes facerent, vt cuique, quod opus habebat, distribueretur, & nemo aliquid proprium sibi tribuebat, sed quod vnius, hoc & reliquorũ: nullus inter eos egebat, eo quòd nemo quippiã sibi proprium vendicabat: inde cuncta illis erant communia.

†Sup.2.d 1.q.2.Pastores Ecclesiæ.& 12.q.1.ca. 2.& cap. Vidétes. †12.q.1.c. Quiatua.

Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis: †*neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorũ erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* † *Diuidebatur autem*

singulis prout cuique opus erat.

Reddere enim ex quodam concredito debitum dicit: quia cùm gratiam donorum ad verbum Dei confirmandum, vt Marc. vltimo, accepissent, per illa signa resurrectionem Christi persuadebant, tanquam debitores ex sibi iniuncto officio. Sed resurrectionis præcipuè meminit, tanquam minus credibilis, quæ & passionem, & ascensionem complectabatur. Quod autem ait: vendentes agros, afferre precia ante pedes Apostolorum: vtrorumque magnum designat honorem, Apostolorum inquam, quia eos dominos suos constituerent: afferentium, quòd se, vt ad manus darent Apostolorum, credebãt indignos: illos verò bonorum illorum iustiores videbant dispensatores.

Ioseph autem qui cognominatus est Barsabas ab Apostolis, (quod est interpretatum filius cõsolationis) Leuites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit preciũ, & posuit ante pedes Apostolorum.

Doctores de hoc Ioseph non sibi consentiunt: quidã eum dicunt, qui cum Matthia suprà. 1. cap. missus est in sortem, & qui tunc non est locum Iudæ sortitus: postea à Domino cum Paulo missus est, & Apostolus electus, infrà ca. 13. Ideo dicebatur suprà Ioseph, & Barsabas, sicut hic dicitur. Quod Chrysostomo non placuit, quia Græcè dicitur βαρνάβας, non Barsabas. Non mihi inquit Chrysost. ille esse videtur, qui cum Matthia: ille enim dicebatur Ioseph, & Barsabas, postea autem cognominatus est Iustus. Hic autem Barnabas est filius consolationis ab Apostolis dictus. Et videtur mihi à virtute assumptum nomen quasi ad hoc sufficiat, & studiosus sit. Hæc ille. Vocauerunt autem illum consolationis filium, qui primus vendiderit prædiũ, & attulerit ad pedes Apostolorum, quem plurimi postea imitati sunt in consolationem Apostolorum, qui fidem credentium per exteriores probauerunt actus. Hic autem Leuites, de genere scilicet Leui, Cyprius tamen natiuitate, quandoquidem in Cyprum parentes eius tempore persecutionis alicuius confugerant, dispersis in nationes Iudæis.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Ananias cum Sapphira vxore agri precium defraudantes palàm occiduntur, Apostoli inde multa alia signa facientes carceri mancipantur, a quo per angelum liberati à Iudæis rursum vocantur, sed quauis facta prohibitione ab incepto non desistunt.

VIr autem quidam nomine Ananias, cum Sapphira vxore sua, vendidit agrum, & fraudauit de precio agri, conscia vxore sua: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit.

11.q.2.c.1.12.q.1. cap. Dilectissimi. 17.q.1.ca. Ananias. 23.q.4.c. Quod Christus.

Superius Barnabæ venditionem agri, & precij ad pedes Apostolorum delationem, in huius Ananiæ confusionem præmisit, quòd ille absque vlla precij detractione totum attulerit precium: hic vero partem detrahit, nulla coactus necessitate. Vnde quòd fraudauit dicitur, Græcè est, ἐνοσφίσατο, quod furari & interuertere significat, hoc est, callidè suffurari. Hinc est, vt dicit Oecumenius, Tria tunc edita sunt circa eundem signa: Cognitio occultorum, exterrefactio curæ mentis & præterea interitus iussu Petri consecutus.

Dixit autem Petrus ad Ananiam: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto, & fraudare de precio agri?

Græca quę nunc extant, pro tentauit, habêt ἐπλήρωσεν, id est, impleuit. Interpres autem legisse videtur ἐπείρασεν. Sensus autem Græcorum est: Cur impleuit Satanas cor tuum, vt fallere spiritum sanctum statueres, partemque precij interuertere ex prædio venundato? Exigentibus enim precedentibus peccatis, frequenter durè tentamur, vt inquit Dionysius, & ideo in tentatione à Deo relinquimur, & Deo promissa frangere cogimur. Vt etiam ait Greg. Peccatum quod non per pœnitentiam statim diluitur, mox ad aliud grauius suo pondere trahit. Veluti hic Ananias prius apud se constituit aliquid de precio apud se retinere, & inde spiritui sancto mentitus est, dicens se non amplius vendidisse.

Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mẽ-

titus hominibus,sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba,cecidit,& expirauit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. Surgentes autem iuuenes,amouerunt eum,& efferentes sepelierunt.

Hebraica est locutio,id est, nunquid planè tuus remanebat? Quod verò sequitur: & venundatũ in tua erat potestate? nõ videtur referri ad τὸ χωρίον,id est,prædiũ,neque enim iã venditũ prædiũ in potestate venditoris est, sed emptoris: nisi intelligas quòd venditũ prędiũ in potestate erat ne venderes. Aut sanè intelligendũ est,id quod venditũ erat,id est,preciũ rei vẽditæ, in potestate tua erat,vt ad nos nõ afferres? quia nõ de prædio, sed de agro textus meminit. Super quo dicit Aug. de verbis Apo. Ser mo. 25. ✠ Sic nanque Ananias in Actibus Apostolorum, dum putat se rectè offerre,& non rectè diuidit,pecuniam quã obtulit, perdidit, & quam domi seruauit,amisit: pecuniam inquam,pariter perdidit, & salutem. Dum enim ex eo quod promiserat,partem subtraxit,sacrilegij simul condemnatur,& fraudis. Sacrilegij, quòd Deum in pollicitatione fefellerit: fraudis, quòd integris muneribus protionem quandam putauerit subtrahendam.

✠Aug. de verbis Domini. Ser. 25.

Factum est autem quasi horarum trium spacium, & vxor ipsius,nesciens quod factum fuerat, introiuit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier,si tanti agrũ vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: † Quid vtique cõuenit vobis tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorũ qui sepelierunt virum tuum ,ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius,& expirauit. Intrantes autem iuuenes,inuenerũt illam mortuam,& extulerunt,& sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia,& in omnes qui audierunt hæc.

† 2.7.d.c. Quod in terrogast

Trium horarum spacium sufficiens erat, vt rumor mortis Ananiæ apud multos, etiam eius vxorem,nisi timor subiti casus eos terruisset, & eos reddidisset attonitos,facilè peruenirent. Vnde vxor illa factum ignorans,ingreditur intrepida,facti tamen conscia. Ad quam Petrus vti ad maritum: Nónne tanti prædium vestrum vendidistis? Vt ipsa se ream condemnaret,& peccatum,quod occultum putabat,omnibus fieret manifestum,propterea illa

illa respondit, quòd tanti scilicet, quāti deposuerant ante pedes Apostolorum, & non amplius. At quia in simili delicto cum viro reperit, simili quoque pœna damnauit. Quod mirum valde est, quare nullum pœnitentiæ locū dedit illis, vel saltem spacium cognoscendi sui grauitatem peccati, vt saltem compungerentur. Vnde nec immeritò cæteros timor inuasit, cùm in Ananiam, nuper in consortium aduenientem, vel etiam nondum ingressum, tanta sit Petrus vsus seueritate. Quod tamen non temerè factum putandum, quòd etiam contra diuinam legem peccauissent, mendacio scilicet in Deum. De quo August. vbi sup. Si ergo fratres, Aninas condemnatur, quòd non totum dederit quod de suo ipse promiserat, quid censemus de eo qui non vult reddere quod alius repromisit. Videte ergo & vos fratres, quid promiseritis Deo, cùm primùm fidei gratiam percepistis. Quòd autem dicit: Quid vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini? Græcè est, τί ὅτι συμφωνήθη, id est, quid est quod inter vos conuenit, siue compactum est inter vos tentare spiritum Domini.

†*Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, vt veniēte Petro saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* †De cō. secr. dist. 4. cap. De spiritu

Etsi cæteri taceantur Apostoli à Petro, eorum tamen gesta non silentur, quandoquidem & per manuum impositionem, & per alias gratias gratis datas faciebant signa plurima in populo, non in principibus populi, aut principibus sacerdotum. Distinguunt autem doctores inter signa & prodigia, licet vtrunque aliud, quàm pateat, significet: signa nempe rem præsentem præ se ferant, vtpote diuinam virtutem in faciente signum aut miraculum: prodigia verò aliquid futurum portendūt. Vnde Aug. Psalm. 45. Prodigia dicuntur, quòd aliquid

portendant, scilicet quòd per illa signa designabatur futurum Dei verbum in omnem terram, quod & factum est. Erant autē Apostoli vnanimiter prædicantes & orantes in porticu Salomonis, loco inquam, prædicationi & orationi apto, ex quibus ab omnibus magnificabantur, tum propter plurima signa & miracula super his qui infirmabātur, quos ad eos cateruatim afferebant curandos. Vnde cùm dicit: vt in plateas ejcerent infirmos: Græcè est ἐκφέρειν, quod magis significat exportare, vt scilicet extra domos in plateas exportarent infirmos, qua transiturus erat Petrus, qui nō solò tactu, sicut cæteri Apostoli, sed etiam vmbra sua: cui cæteri tanquam ad præceptorem præcipua signa deferebant.

Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.

Nec solùm vrbis Ierusalem ciues infirmos curabant, sed etiam ab vrbe remotiores: cùm lōgius Apostolorum fama excurreret, ita fides paucis diebus dilateretur. Ex quibus patet plura, imò innumera fuisse Apostolorum miracula, quæ scripta non fuerunt: quod etiam Christus Ioan. 14. fuerat illis pollicitus. ✠ Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet. Vnde quotquot illis oblati sunt, curauerunt.

✠ Ioan. 14. b.

Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo, † *& iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: Ite, & stantes loquimini in tēplo plebi omnia verba vitæ huius. Qui cùm audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.*

† Sup. 4. a Inf. 12. a.

Princeps sacerdotum insurrexit in Apostolos, præcipuè per Sadducæos excitatus, cùm Apostolos viderent nullum non moueri lapidem ad probandam resurrectionem, quam ipsi Sadducæi omnibus negarent viribus. Sadducæi enim quia resurrectionem impugnabant, lubēter se iungebant principibus sacerdotum, & Pharisæis, in persecutionem Apostolorum, quorū præcipuus erat scopus Christi resurrectionem prædicare & persuadere, fu-

uram-

turamque omnium nostrum per illum resurrectionem. Commotus itaque pontifex per hos Sadducæos, iniecit manus violentas in Apostolos, & inclusit illos carcere publico, quem tamen propria spes tandem fefellit. Ipsi enim Apostoli diuino freti auxilio, ab angelo è carcere educti sunt, & in templum ad prædicandum restituti. Hi summo diluculo templum ingressi, angelicum expleturi mandatum.

Aduenies autem princeps sacerdotum, & qui cũ eo erant, conuocauerunt concilium, & omnes seniores filiorum Israël, & miserunt ad carcerem, vt adducerentur.

In hoc patet plebeculam Iudæorum magis docilem fuisse, quàm principes & seniores. Plebs enim visis signis fidei facilè assentit: principes aũt nil aliud tentant, quàm Apostolos tollere è viuis, ne illorum super Christi morte reueletur peccatum. Hinc magnum cogũt peritorum in lege concilium, & seniorum. At Græcè dicitur, πᾶσάν γερουσίαν, id est, omnem senatum. Sicut enim senatus à senioribus, ita ἀπὸ τῶν γερόντων dicitur γερουσία. Quo in vnum coacto, mittunt ad carcerẽ ministros, ad Apostolos palàm adducendos: sed frustrà, quoniam ✠aduersus Dei consilium non est scientia aut prudẽtia. *Cùm autem veniissent ministri, & aperto carcere non inuenissent illos, reuersi nunciauerunt, dicentes: Carcerẽ quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas, aperientes autem, neminem intus inuenimus.* *Pro.21.d †Inf.12.a. & 16.c.

Non minori illusione perdiderunt discipulos, atque magistrum. Vnde aduersus eos Beda exclamat: Quid prophane Iudæe cæca stimularis insania, furantibus dicens Apostolis Dominum de monumento fuisse sublatum? Dic rogo, eosdem Apostolos de carcere tuo clauso cuius furto credis ablatos? Quod aũt distulissent illos sistere iudicio, hoc nõ misericordia fecerunt, sed vt in crastinum producerent, & eos condemnarent.

†Vt autem audierunt hos sermones magistratus templi, & principes sacerdotum, ambigebant de illis, quidnam fieret. Aduenies aũt quidam, nunciauit eis: Quia ecce viri quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes & docẽtes populum. †Inf.16.e

lum. Tunc abijt magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi: Timebant enim populum, ne lapidarentur. Et cùm adduxissent illos, statuerunt in concilio.

Vide cæcitatem Iudæorum, qui præ nimia inuidia diuinam adesse potentiam non aduertunt: quænam enim humana hoc virtus potuit. Nec tamē illos à templo violentia extrahere populi formidine audent, ne & ipsi à populo lapidarentur. In quo populum prudentiorem fatentur, qui nullo ductus odio signa admiratur, & propter illa Apostolos veneratur.

Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, & ecce repletis Ierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

Cognitis tot signis in hoc nomine factis, & à tot viris probatis, hoc nomen silentio tegere tentant, interrogantes: Nónne toties præcepimns vobis, ne vsquam in hoc nomine prædicaretis? Græcè est, ὐ παραγγελία παρηγγείλαμεν ὑμῖν, μὴ διδάσκειν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τούτῳ, id est, vt inquit Budæus: Nónne conceptis verbis interdiximus vobis, ne doceretis in hoc nomine? παραγγέλλειν autē & præcipere significat, & interdicere, & edicere, id est, edicto præcipere: quomodo & hic sumi potest, vt sit sensus: Nónne edicto vobis præcepimus atque ediximus, ne doceretis in hoc nomine? Quod autem dicit: vultis inducere super nos, &c. Græcè est pro inducere ἐπάγειν, quod significat imponere, siue imputare: vultis scilicet imputare nobis mortem huius hominis, & super nos imponere sanguinem huius, quasi crimen homicidij nobis imponentes. Quos velint nolint accusat conscientia, & reos mortis Christi indicat: quod tamē ægrè ferre non possunt.

†12.q.2. capite. Si Dominus. 25.q.6.ca. Iuratos. De sentē. excō. cap. Relatum.

Respondens autem Petrus & Apostoli, dixerunt: † Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem & saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandā pœnitentiam Israēli, & remissionem peccatorum. Et nos sumus testes horum verborum, & spiritus

spiritus sanctus, quem dedit omnibus obedientibus sibi.

Si non est potestas nisi à Deo, multo magis Deo obediendum est, quàm hominibus, quorum potestas nō nisi à Deo est: quasi eos accusantes, qui verba Dei & signa contemnerent & improbarent, sed & purum hominem vocarent, qui & Deus, & saluator erat, & quem Deus pater à mortuis suscitauerat. Nondum enim audebant dicere ipsum se virtute propria suscitasse: quod tamen verum erat, & quod tandem prædicauerunt. Nec tamen falsò sanguinem eius illis imponebant, vtpote quem suspendentes in cruce interfecerant. Patrem autem dicunt illum suscitasse, vt illum à patre non distinguerēt. Quorum omniū nō solùm ipsi, sed & spiritus sanctus perhibet testimonium oībus sibi obediētibus in his verbis resurrectionis, ascensionis, & missionis spūs sancti, sed & remissionis peccatorū: nec pœnam ad missorum exigit, modò obediatur ei, & pœniteat præteritorum peccatorum, & imprimis mortis Christi, quē iniustè occiderant.

Hæc cùm audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos.

Principes vbi maximū suum audirent commodū, lætitia & voluptate affici debebant: contrà verò dolore & angustia afficiuntur. Apostoli verò è contrario lætitia & gaudio afficiebantur, cùm & hi in vinculis, & in iudicio essent, & causam haberent tristitiæ: illi verò liberi, & tamen maximè anxij, vt etiā illos occidere excogitabant.

†*Surgens autem quidam in cōcilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis vniuersæ plebi,* †*iussit foras ad breue homines fieri, dixitq; ad illos.* †Inf. 22. a. †Sup. 4. f

Hunc Gamaliēlem ait Chrysostomus Pauli præceptorem fuisse, & admiratione dignum, quòd tanto iudicio valens, ac legis doctor existens, nondum crediderit. Non poterat ille per omnia manere incredulus: quod ex illius verbis manifestum est, quæ consulendo affert. Vnde vt maturius quæ censebat decerneret, iussit Apostolos foras paululū secedere. Inde interpres, pro quo Græci habent ἀποστόλους, legisse videtur ἀνθρώπους, id est, homines. Græca autem sic habent: ἐκέλευσε ἔξω βραχύ τι τοὺς ἀποστόλους ποιῆσαι, id est, iussit scilicet ministris suis,

vt

vt foras ad breue summouerent Apostolos.

Viri Israëlitæ, attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est, & omnes qui credebãt ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.

Græcè, λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν, id est, asserens se quẽpiam virum magnum esse. τὶς enim, quemadmodum & quis Latinum, aliquando hominem honoratum, & in precio existentem significat. Is autem Theudas, vt Græca sonant, non Theodas, vti recitat Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 2. cap. 4. & 5. seditiosus quidam pseudoprophe ta fuit, qui tributa solui Cæsari à Iudęis prohibens, persuasit multis, vt sublatis ex vrbe facultatibus suis, ripas Iordanis obsiderent, asserens se posse verbo suo Iordanem dirimere, & sectatoribus suis permeabilem reddere. Hunc Cuspius Fadus Iudææ procurator equestri exercitu superatum, multis peremptis, multisq; viuis captis, ipsius Theudæ caput desectum Ierosolymã deportauit, vt Eusеb. Eccle. histo. lib. 2. cap. 11.

Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse perijt, & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab omnibus istis, & finite illos: quoniam si est ex hominibus concilium hoc, aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini. Consenserunt autem illi.

Is Iudas Galilæus, vt habet Ioseph. Antiquit. Iudaic. libr. 18. cap. 1. cùm Cyrenius seu Cyrinus Syriæ præses instante Christi natiuitate censum exigeret à Iudæis, populum seduxit, vetans tributa persoluere, proferens ex lege, quòd soli Deo seruiendum esset. Et hic quoq; cum suis factiosis infœliciter perijt. Quod verò ait Lucas: in diebus professionis: Græcè ἀπογραφῆς, intelligit professionem, & generalem descriptionẽ illam, de qua sui Euãgelij cap. 2. locutus est, quæ facta est sub Augusto Cæsare, 42. anno Imperij eius. Quod verò ait Lucas: Post hunc extitit Iudas Galilæus: non est arbitrandum Iudæ Gali-

Galilæi factionem secutã esse factionem Theudæ, nempe quia Iudas Galilæus mouit seditionem sub 42. an. Augusti. & occisus est sub 47. anno regni eius. Theudas verò sub Claudio circiter annum 7. Imperij eius à Cuspio Fado procuratore, à Claudio Cæsare misso, interfectus est, vt suprà. Vnde contrarium apparet. Itaq; Lucas μετὰ, pro πρὸ, id est, vltra vel præter posuit, vt sit sensus: Post hunc, id est, vltra vel præter hunc Theudam seditiosum, fuit Iudas Galilæus alter seditiosus. Præter hos fuit Iudas Gaulonites, ex ciuitate Gamala, qui in factionem suam Sadduco Pharisæo assumpto, non minorem, quàm priores, mouit seditionem, circa 53. anno Augusti Cæsar. Ioseph. de bello Iudaic. lib. 2. cap. 2.

Et conuocantes Apostolos, cæsis denunciauerunt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu: & dimiserunt eos. † *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in tẽplo & circa domos docentes, & euangelizantes Christum Iesum.* † 23. q. 3. c 1. & q. 4. capite. Quod Christus.

Vt verò principes furorem suum ex parte explerent, cæsos Apostolos dimisserũt, interdicentes tamen ne hãc vlterius doctrinam prædicarent. Verùm ob verbera lætiores & audaciores solito redduntur, & quotidie siue in templo, siue in domo, à prædicatione minimè cessabant. quasi dicat: non solùm occultè in domibus quotidie prædicabant, sed & publicè in templo, non obstantibus verbis & verberibus, scientes quia omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Iudith. 8.

CAPVT SEXTVM.

Apostoli ex toto cœtu septem elegerunt diaconos, probos viros, qui cæteris ministrarent, ne verbum Dei omitteretur prędicandum: ex quibus Stephanum Iudæi apprehenderunt, signa facientem, & cunctos sua doctrina vincentem, in quem falsos proferunt testes, vt saltem non sine causa ipsum interficerent.

In

IN diebus illis crescente numero discipulorum factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quòd despicerētur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multi-
†93. dist. capite. Legimus. tudinem discipulorum, dixerunt: †Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos spiritu sancto, & sapiētia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.

Apostoli vsque adeo ad verbum Dei manifestandum afficiebantur, vt quæcunq; illis essent impedimento, remouerent. At cùm Græci aduersus Hebræos iam murmurarent super viduarum & orphanorum prouisione, constituunt eligere ex discipulis ministros, qui cæteris prouideant, ne & ipsi ab oratione & prædicatione impediantur. Græcos autem hic Ἕλληνας dicit, quo nomine paganos omnes à Iudæis distinguere solēt: sed Ἑλληνιστὰς, Iudæos scilicet, qui nati erant, aut dispersi fuerant inter gentes, & Græca lingua loquebantur, qui religione Iudæi erant. Itaque distinguit Hebræos, Iudæos scilicet in Iudæa habitantes, ab his qui nati erant inter gentes, aut dispersi, qui Græcè loquebātur vt plurimum: quos ideo vocat Ἑλληνιστὰς, id est, Græca lingua vtentes.

†24. q. 3. capite. Quidam aūt. versu Nicolaitę †21. dist. capite. 1. 93. dist. ca. Diaconi. Infr. 18. a. *Et placuit sermo coram omni multitudine.* † *Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nichanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum.* † *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde. Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.*

Qui anemo ex hoc numero erat, qui non vellet sedari murmur, ideo omnibus placuit sermo eligendi viros cum conditionibus superpositis, ex eodem scilicet numero eligentium, boni testimonij, plenos spiritu sancto, & sapientia, & qui prodesse magis, quàm præsse velint in opere ad quod sunt assumendi. In quo ordine ser-

seruando Stephanum cum his conditionibus elegerunt, & post eum Philippum, qui creditur is fuisse qui Christũ nuper in cœlum assumptum Samaritanis prędicauit, quique Eunuchum Candacis reginæ cõuertit, & baptizauit, infrà. 8. ac Paulum Cæsareæ recepit: cuius quatuor erant filiæ virgines, quæ prophetabant, infrà 21. De Pachoro, Nichanore, Timone, & Parmena nihil aliud inuenio. Nicolaus autem, quem aduenam, id est, Proselytum appellat Lucas, patria Antiochenus fuit, à quo hæresis prodijt Nicolaitarum: quanquam Clemens apud Eusebium diligenter illum excusat. Pulchram inquit, valde hic vxorem habuit, & post ascensionem Domini & saluatoris nostri cùm increparetur ab Apostolis tanquam de zelotypiæ iniuria, productam in medium vxorem suam, si quis vellet eam habere, permisit. Euseb. Eccles. histo. libr. 3. capit. 29. Hunc tamen non excusat Epiphanius contra 25. hæresim. De cuius conuersione & sequacium plurima illic videre poteris. Ex quibus pauca elicere dignum duximus. Cùm hic inquit, haberet vxorem formosam, & ab ipsa se continuisset, ad imitationem eorum, quos Deo addictos videbat, aliquotenus tolerabat, non tamen in finem suæ intemperantiæ dominari potuit, sed volens velut canis ad proprium vomitum reuerti, prætextus quosdam non ita bonos sibijpsi venans excogitabat, ad proprij affectus petulantiæ defensionem, ea quæ magis ipsi conferebant. Deinde igitur à proposito elapsus, cum propria vxore coibat minimè curiosè. Postea erubescens se victum esse, & veritus deprehendi, audebat dicere: Nisi quis singulis diebus venerem exerceret, non posset particeps fieri vitæ æternæ. Ex alio enim ad alium prætextum confugit, &c. Ex horum verò discipulorum ordinatione patet statim secutus profectus, discipulorum inquam multiplicatio. Mirabile est, inquit Chrysost. ibi occisus est Christus, & illic creuit prædicatio, & non solùm non sunt offensi quidá ex discipulis, videntes Apostolos flagellari, alios autem fugari, alios spiritus tentare, alios obmurmurare, sed & sic credentium numerus augebatur, ita emendabatur ex eo quod Ananiæ acciderat, & maior timor illis fiebat.

Stepha-

Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellabatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano, & non poterãt resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur: propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia. Tũc summiserunt viros, qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & Deum.

Stephanus plenus fide & spiritu sancto ante ordinationem suam in diaconum dicebatur, nunc plenus gratia & fortitudine ordinatus & electus nominatur. Nec immeritò Stephanus, qui interpretatur corona, vel coronatus, vocatus est, qui primus post Christũ coronandus erat martyrio, quem etiam Lucas fortitudine illustrat, nimirum qui constanter sustinuit vsq; ad mortem. Aduersus eum igitur insurrexerunt plurimi Iudæi diuersarum nationum, cum illo legis zelo disputantes. Et inter cæteros harum quinque nationum Iudæi Libertini, Cyrenenses, Alexandrini, Cilices, & Asiani Libertinos vocat Chrysostomus quosdam Iudæos à Romanis in seruitutem redactos, sed tandem libertate donatos, & manumissos, qui studij gratia Ierosolymam cõuenerant. Et quemadmodum illic morabantur hospites multi, ita & synagogas habebant multas, in quibus oportebat & legem legi, & preces fieri. Nec fortasse falsum putẽ Lyranum, qui ex glosa interlineari putauit à regione quadam dictos fuisse Libertinos, & fortasis à Libya, cùm Cyrenenses, & Alexandrini, quibus Libertini iunguntur, in Aphrica sint. Verùm Lyranus non refert hanc regionem, nec illius Cosmographi meminerunt. Ego vt certi nihil habeo, ita nullius in re incerta sententiam damno. At certè non malè putemus deuicta per Pompeium Iudæo abductos fuisse Romam multos Iudæos, quorum fortasse filij manumissi sunt, Libertiniq; effecti, religionis ac studij gratia Ierosolymã profecti sunt. Cyrenenses autem puto ex eorum prosapia fuisse Iudæorum, olim Damasci habitantium, quos Teglatphalasar Assyriorum rex Cyrenem Libyæ transtulit, vt habetur

betur 4.Reg.16.Oēs hi præcipuè aduersus Stephanum instabant,maximè vt aliquid legi contrariū ab eo extorquerent: nec tamen resistere poterant sapientiæ eius. Cumq; nullum ab eo extorquere possent legi aduersum verbum, falsos testes induxerunt, qui dicerent eum falsum contra legem Dei & Moysi dixisse: quod illi præcipuè intendebant, vt eum pontificibus & senioribus accusarent.

Commouerunt itaque plebem, & seniores, & scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legem. Audiuimus enim eum dicētem, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.

Christum non nisi per falsos testes mortis reum iudicauerunt,ita & discipulum eius. Duplicem itaque adducunt accusationem,alteram,quod Christus locum illum destructurus erat: alteram,quòd mores & cæremonias legis mutaturus. Et præter eorum intentionem vtrunque tandem accidit. Destructio loci per Romanos circiter annum quadragesimum post Christi passionem: cæremoniæ verò paulatim euanuerunt. At cùm intuerentur illum, visa est illis facies eius quasi vnius angeli: ita talem illi Dominus gratiam contulit, vt attentiores ad ea quæ statim dicturus erat redderentur.

CAPVT SEPTIMVM.

Stephanus testes falsos confutare volens, longius historiarum mysteria discurrit, quibus eos conuincit Dei & Moysi legibus semper fuisse rebelles, vt mererentur & loco & lege priuari: vnde furentes in eum, lapidauerunt eum pro illis preces fundentem.

Dixit autem princeps sacerdotum, si hæc ita se haberent? Qui ait: Viri fratres & patres, audite.

Angelicus vultus principem commouit ad modestiam: vnde cum mansuetudine ipsum interrogat, nónne hæc ita essent, vti accusabát illi? Græ-

cè, ἢ ἄρα, id est, num hæc sic se habent? Propterea mansuetis ille vtitur verbis, eos appellando fratres, quia de genere Abrahæ descendentes: sed & patres, quia superiores, & in dignitate constitutos.

Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cùm esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: †*Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.*

†Gene. 12.a.

Respondet beatus Stephanus ad accusationes sibi impositas, probans non esse in Deum vel Moysen blasphemiam, asserere Christum huius mũdi saluatorem, nempe qui tot figuris, oraculis, & testimonijs prophetarum futurus est prænunciatus. Concionem verò suam contexuit ab exordio fidei, quasi dicat: Si Abraham, quem vos dicitis patrem vestrum, in terra gentium, & ex patre gentili prima vocatione, & promissione futuri saluatoris credidit Deo annuncianti: qui talem non imitantur fidem venturi saluatoris, nec fideles, nec filij Abrahæ dici merentur, quod per plures historias probat. Quod autem dicit: cùm esset in Mesopotamia: aduerte quòd Mesopotamia, de qua suprà cap. 2. regio latissimè patet. Iacet enim vltra Syriam, neq; solis amnibus, Euphrate & Tigri clauditur, sed in Chaldæam quoque & Persiam extenditur: ita ob multos amnes, qui mediam regionem secant, appellata. Itaque ad Mesopotamiam Chaldæa spectat, vtpote quæ intra Tigrim & Euphratem sita est. Cùm itaque esset inquit, Abraham in Mesopotamia, in Vr scilicet Chaldæorum oppido, priusquã moraretur in terra Charan. Nam vti Gene. 11. scribitur: Tulit Thare Abram filium suum de Vr Chaldæorum, & venit in Charran, siue Aram, siue Charras. Differentiam prolationis facit litera Hebræa Heth ה quam Græci pro ch proferunt, cæteri pro h forti aspiratione. Ideo apud Hebræos, vt in Genesi, vocatur Haran, apud Græcos verò Charran: quod est oppidum Mesopotamiæ, M. Crassi morte, iuxta quod interijt, nobile. Quòd aũt Ste-

Charran.

pha-

phanus dicit factum à Deo Abrahæ præceptum, vt de terra sua exiret, cùm adhuc esset in Vr, priusquam moraretur in Charran, videtur repugnare ei quod dicitur Genes. 12. quòd mortuo Thare in Aram, vbi tunc cum eo habitabat Abrahã, dixit Dñs ad Abrahã: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c. Horum locorum cóciliandi gratia intelligendũ, quòd habitãte adhuc Thare & Abram in ea Mesopotamiæ parte, in qua est Vr Chaldæorum, factũ est Abrahę præceptum, vt de Vr terra sua fugeret: quod præceptũ filio factum intelligens Thare pater Abrahæ, vniuersam familiam suã duxit in Haram, siue Charran. Quòd verò sequitur postea cap. 12. Egredere de terra tua: Aug. de ciuita. Dei. lib. 16. ca. 15. asserit per recapitulationem dictum, quasi id quod antè factum est, postea repetiuerit. Nam manifestè Stephanus ostẽdit præceptum factũ Abrahæ in Vr Chaldæorum. Quanquã & possumus huic scrupo aliter quàm per recapitulationem mederi, vt dicamus duplex præceptum factũ Abrahæ à Deo. Prius factum est ipsi cum Thare patre in Mesopotamia & Vr Chaldæorum habitanti, vt de Vr exiret: qui paruit, profectus cum patre. Vbi mortuo patre rursus præceptum accepit, vt de Haram exiret, veniretq; in terram Chanaan. Itaque prioris præcepti meminit solus Stephanus, alterius Moyses. Quanquam & meminisse satis videtur Stephanus, dum inquit: Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit eum in terram istam. Et de primo etiam præcepto facto Abrahæ sufficienter Moyses tetigit, cùm ait Genes. 15. Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum: quod indubiè indicat Abrahæ præceptum factum exeundi de Vr Chaldæorum, quod expressius indicauit Stephanus. De his tractat Hiero. in quæst. Hebrai. & Augu. de ciuita. Dei, lib. 16. cap. 15. & plerisque alijs locis.

Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis, sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.

Pro passu pedis, Græcè est, βῆμα ποδὸς, id est, ne vestigium quidem pedis: licet enim βῆμα & vestigium, & passum significet. Nõ obstat aũt huic dicto Stephani,

quod 23. Genes. scribitur, quòd Abraham à filijs Heth emerit agrum filij Ephron, cum spelunca duplici 400. siclis: eum enim non ad vtendum viuis, sed ad sepeliendos mortuos emerat.

†Gen. 13. c. & 15. d. *Locutus est autem ei Deus: † Quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subijcient & male tractabunt eos annis quadringentis, & gentem cui seruierint, iudicabo ego, dicit Dominus. Et post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto.*

Pro accola, Græcè est πάροικον, quod incolam & inquilinum significat, nimirum qui in terra non sua habitat, siue precario, siue conducto. Accola verò dicitur, qui iuxta aliquem locum, siue suum, siue alienum habitat, vt accola Padi, accola Sequanæ. Quod autem hic ait Stephanus, Genes. 15. cap. scribitur: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Vbi nota, quòd vbi in Actis habetur 400. annis, veteres aliquot codices, & Rabanus, vt recitat glosa ordinaria, legunt 430. annis, quos computant à die qua facta est Abrahæ promissio, 75. anno ætatis Abrahæ, vsq; ad exitum Israëlis de Aegypto. Qui verò tantùm legunt 400. annos, à natiuitate Isaac computãt, vel propè. Aug. de ciuita. Dei, lib. 26. ca. 24. computantur inquit, ab anno 75. Abrahæ, quando ad eum facta est prima promissio, vsque ad exitum de Aegypto, 430. anni: quos licet ita ex scripturis computare. Abraham cùm genuit Isaac, erat annorum 100. Genes. 21. Isaac cùm genuit Esau, & Iacob, annorum 60. erat, Genes. 25. Iacob cùm genuit Ioseph, annorum 91. Genes. 37. 41. & 47. Ioseph anno 110. mortuus est, Gene. 50. Deinde secuta est seruitus in Aegypto annis 64. cùm natus est Moyses: qui cùm esset annorum 80. vt patet Exod. 7. primo mense egressus est cum populo, & mense 3. legem accepit. Ex his annis simùl computatis conflantur anni 505. à quibus si auferas 75. annos, quos natus erat Abraham, cùm egressus est de Haran, vt habetur Gene. 12. consequens est, ab egressu Abraham vsq; ad legem datam fluxerint anni 430. sicut hoc loco habebat vetus lectio. Aliter

suppu-

supputat Rabanus, & breuius. Ex quo enim Deus inquit, promisit Abrahæ vsq; ad descésum Iacob in Aegyptum, anni fuerunt 213. à descensu Iacob in Aegyptum, vsq; ad egressum Israël ex Aegypto, fuerũt anni 217. qui simul iuncti, 430. annos constituunt. Et totidem annis durauit Abrahæ & seminis eius peregrinatio, ex quo egressus est de Haran, vt habetur Exo. 12. Quorum Apostolo ad Galat. 3. meminit, dicẽs: Hoc aũt dico testimoniũ confirmatum à Deo, quæ post 430. annos facta est lex, non irritum facit. Iam si natus erat 75. annum in prima promissione Abraham, vt Gene. 12. & vt scribitur, centenario natus est filius, tolliendo igitur 25. annos ab illa promissione vsque ad natiuitatem Isaac, restant 405. anni: scriptura autem non meminit huius parui numeri 5. Vel dic hos annos computandos à 5. anno Isaac, quando Ismael exiuit domum Abrahæ, & remansit Isaac solus hæres paternus. Non est autem putandum, quòd afflicti sint totos istos. 400. annos ab Aegyptijs Hebræi, sed quòd tempus afflictionis eorum sub Pharaone hos annos finiat. Puto tamen reponendum esse hoc in loco 430. annos: sic enim veteres libri habent conformiter ad Paulum, & ad glosam ordinariam.

Et dedit illi testamentum circũcisionis, & sic genuit Isaac, †Ge.17.b
† *& circuncidit eum die octauo: & Isaac Iacob, & Iacob duodecim patriarchas.*

Græcè διαθήκην, quod fœdus & pactum significat: ac magis hoc loco quadrabat. Super quod dicit Raba. Fœdus ideo factum est cum populo illo, vt populus Israël non solùm moribus, sed etiam signo corporali à gentibus diuideretur. In membro genitali ponitur, vt in illo carnis sit imminutio, quæ tegitur pudicitiæ secreto: & quia per omnes progenies erat seruanda, in genitali mẽbro est posita.

†*Et patriarchæ æmulantes, Ioseph vendiderunt in Aegyptum: & erat Deus cum eo,* † *& eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam & sapientiam in conspectu Pharaonis regis Aegyptiorum, & constituit eum præpositum super Aegyptum, & super omnem domum suam.* †Ge.37.d †Ibi.4.g.

Ita significat ad verbum dictio Græca ζηλώσαντες, seu magis cùm æmulati essent: cùm tamen æmulandi verbũ indifferens sit ad bonum & malum, præstitisset vertere inuidia moti. Hic autem non parum taxat eos, Ioseph in medium afferens, qui verè figura Christi erat: & quemadmodum per inuidiam fratres Ioseph illum gentilibus vendiderunt, ita & Iudæi, qui se etiã principes dicebant, gentibus tradiderunt ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Inuenit autem Ioseph coram rege gratiam, & per eam exaltauit illum super totum regnum suum. Sic Christum Rex summus exaltauit, & dedit illi omnem potestatem in cœlo & in terra, & eum constituit Regem regum, & Dominum dominantium. Nec igitur illi nocuit inuidia fratrum.

Venit autem fames in vniuersam Aegyptũ, & Chanaan, & tribulatio magna: & non inueniebant cibos patres nostri. †Ge.42.a *Cùm audisset autem Iacob esse frumentum in Aegypto, misit patres nostros primùm, & in secundo cognitus est Ioseph à fratribus suis, & manifestatũ est Pharaoni genus* †Ge. 45.f *eius.* †*Mittens aũt Ioseph accersiuit Iacob patrẽ suum, & omnem cognationem suã in animabus septuaginta quinq.*

Et tunc grassabatur fames per vniuersam Aegyptum & Palæstinã, propinquas scilicet regiones, vt altera ope alterius frequenter egeret. Ioseph itaq; super frumenta totius Aegypti constitutus, fratres suos ad emendos cibos in Aegyptum descendentes prima vice agnouit, nec est agnitus ab illis: secunda autem vice & eos agnouit & ab illis agnitus est, nec solum, sed & eos Pharaoni manifestauit: nec his contentus, patrem suum, & omnem cognationem suam accersiuit numero septuaginta quinque, quibus tota constabat familia. Animas enim Hebræi pro hominibus vsurpant, vt Gene.12. Tulit Abram omnem substantiam suam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran, id est, & homines apud Haran familiæ suæ natos, quos asserit Stephanus fuisse 75. numero: quanquam Hebræi habeant tantùm 70. & in hoc secutus est Lucas æditionem septuaginta interpretum, quoniam si solos qui cum Iacob descenderunt connumeres, fiunt tantùm 66. quibus si addideris Iacob, & Ioseph,

Ioseph, atq; duos filios eius, fiunt solũ septuaginta: quibus fortasse annumerant Græci filios filiorum Ioseph.

†*Et descendit Iacob in Aegyptum, †& defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro quod emit Abraham precio argenti à filijs Hemor, filij Sichem.* †Gene. 46. d. †Gene. 49. d.

Videtur hæc Stephani narratio in multis contraenire ijs quæ scripta sunt in Genesi. Primùm videtur dicere Stephanus, Iacob & reliquorum patrum ossa translata esse in Sichem, cùm tamen iubeat Iacob moriens sepeliri cum patribus suis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi, quam emit Abraham ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. Quanquam reuera innuat hic Stephanus, Ioseph illuc translatum fuisse, & Hieronymus asserat filios Iacob in Sichem esse translatos, licet Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 2. cap. 8. in Hebron sepultos esse perhibeat. Sed maior habenda est Stephano fides, quàm Iosepho. Secundò videtur contradictio, quòd Stephanus asserat Abraham emisse agrum illum à filijs Hemor, filij Sichem, cùm Genes. 23. scribatur, Abraham emisse ab Hethæo, & Genes. 33. scribatur, Iacob emisse agrum à filijs Hemor, patris Sichem: in quo videtur alia contradictio cum Stephano, quòd Stephanus dicat Hemor filium Sichem, quem Genes. patrem Sichem dicit. Hunc nodum tractat Hieron. de optimo generi interpretandi ad Pammachium, & in definitionibus Hebraicis. Certè cùm Genes. 33. dicatur emisse Iacob à filijs Hemor, vbi fixa erãt tabernacula, neq; legatur emisse in ius sepulchri, vero simile est ipsum cum filijs in spelunca duplici Ephron sepultum esse. Certè Diony. Cartusia. & puto ex Hiero. asserit ossa duodecim patriarcharũ in Sichẽ, prædio scilicet Iacob sepulta esse, postea in sepulchrum, quod emerat Abraham ab Ephron Hethæo, translata. Restat ergo tollendus scrupus, quomodo dicat Stephanus translatos esse in Sichem. Cui medebimur, si dicamus agrum & speluncam duplicẽ, quem emit Abrahã ab Hemor Hethæo, prope Sichẽ fuisse: quod Iacobus Zieglerus sentit, quanquam non probet. Et videre opus esset, vbi sit Hebron,

iuxta quam erat spelunca duplex, & vbi Sichem. Nã Sichem longè distat à Hierosolymis, Hebron autem non longè, teste Iosepho. Restat scrupus, quomodo dicat Stephanus Abraham emisse locum illum à filijs Hemor: nam quòd eundem locum emerit Abraham, quem Iacob postea à Mesopotamia rediens emerit, iam abalienatum Zieglerus dicit: & vero simile est. Sed non minor restat scrupus, quomodo à filijs Hemor Abraham emisse dicatur, cùm ab illis Iacob emerit 117. annis, postquam Abraham emerat, Genes. 33. sed Abraham ab Ephron Hethæo. Sunt qui putent tam Stephanum narrantem, quàm Lucam scribentem posuisse pro Abraham, Iacob, sed immutatam esse etiam tempore Hieronymi lectionem. Restat vnus adhuc scrupus, quomodo dicat Hemor filium Sichem Stephanus, cùm Gene. 33. dicatur pater Sichem? Cui respondemus, nec patris, nec filij Græcè haberi, sed tantùm ἐμὸρ τῦ σιχέμ, quod potest significare ἐμὸρ πατρὸς σιχέμ: quemadmodũ Act. 1. Ἰάκωβος Ἀλφαίυ significat Iacobum Alphæi filiũ: & paulo pòst in eadem constructione, Iudas Iacobi, intelligitur Iacobi frater. Ita cùm Græcè scriptũ sit ἐμὸρ τῦ σιχέμ, interpretari debemus Hemor patris Sichem. Certè Beda suo tempore testatur in Græcis exemplaribus scriptum fuisse pro τῦ σιχέμ, ἐν σιχέμ: quomodo sensus esset: in sepulchro, quod emit Abraham in Sichem à filijs Hemor. Quidam nodum euadere volentes, dicunt Hemor patrem & filium habuisse nomen Sichem.

Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam cõ-
†Exo. 1. a *fessus erat Deus Abrahæ, † creuit populus, & multiplicatus est in Aegypto, quoad vsque surrexit alius rex in Aegypto,*
†Exo. 2. a *qui non sciebat Ioseph. † Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.*

Stephanus studens breuitati, paucis narrat quid passi sint filij Israël in Aegypto mortuo Ioseph. Cùm igitur finis peregrinationis Israël in Aegypto instaret, vexatus est populus, quod præcipua fuit causa, cur clamauerit ad Dominum, qui iuxta promissionem Abrahæ factã super reditu filiorũ suorũ exaudiuit eos, & de omnibus tri-

tribulationibus liberauit eos. Quod dicit: quam confessus erat Deus Abrahę: pro confessus erat, interpres legisse videtur sic, ὡμολόγησεν, id est, confessus erat: quanquā Græci codices, qui nunc extāt, constanter habeant, ὤμοσεν, id est, iurauerat, aut iuramento promiserat: quanquā verbum Græcum ὁμολογέω, significat spondeo, & promitto roganti, & paciscor. Itaque quod interpres legit ὡμολόγησεν, verti poterat, quam promiserat, siue pactus erat Abrahæ Deus. Quod verò dicit: vt exponerent infantes, ne viuificarētur: Græcè est, μὴ ζωογονεῖσθαι, interpres legisse videtur ζωοποιεῖσθαι. ζωογονέω autē significat viuum producere. Loquitur autem hoc loco Stephanus de præcepto impio Pharaonis, qui iussit mares omnes Hebræorum exponi, & in flumē proijci. Sensus enim textus est, quòd afflixit. Pharao patres nostros, exponendo infantes eorum, ne viuerent, non autem ne viuificarentur, vel viui generarentur, neq; ne vitales essent fœtus, sed exponi eos iussit, ne postquam nati essent, amplius viuerent. Notandum est autem Græca nō habere, vt exponerent infantes suos: sunt enim Græca huiusmodi: ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν, τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν, εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι, id est, afflixit patres nostros, exponendo infantes eorum ne viuerent. Nō enim Pharao præcepit Hebræis, vt infantes suos exponerent, sed ipse per populum suum exponendos curauit, vt habetur Exod. 1. Genus ergo afflictionis expresit Stephanus, scilicet expositionem Hebræorum masculorum per Pharaonis ministros.

Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui: † *Exposito autem illo sustulit illum filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium.* †*Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus suis.*

† Exo. 2. d †37. di. c. Turbat. & cap. Qui de mensa.

Græcè, καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ θεῷ: vbi cùm ἀστεῖος vrbanus ac elegans, siue ciuilis dicatur, cuiusmodi homines gratiosi esse solēt hominibus, mihi videretur Græca gratius sic verti debere: Et erat gratiosus Deo, siue apud Deum. Significat enim propriè gratiam & elegantiam infantilē, quæ erat in infante Moyse. Vel ἀστεῖος propriè dicitur

in puerili ætate, omni corporis labe ac vitio carẽs. Quòd autem dicitur eruditus in omni sapientia Aegyptiorum, innuit non omnino extraneam philosophiam esse abijciendam, vt etiam de Daniele, & tribus pueris dicitur, Daniel.1. non tamen in illis est senescendum, sed ad superiores scientias, scilicet sacras ascendendum, sicut postea fecit Moyses.

Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israël. Et cùm vidisset quendam iniuriam patientẽ, vindicauit illum, & fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt.

Nec minus beatus Stephanus Iudæos perstringit, qui figuram non capiebant. Quemadmodum enim Moyses populum suum visitauit tanquam præfectus eorum, vt eos ab inimicis liberaret, & iniuriã propulsaret, ita Christus eos ✠ visitauit, oriens exalto, vt faceret redemptionem plebis suæ. At sicut Moysen Iudæi in Aegypto non intellexerunt à Deo missum illis, per cuius manum consequerẽtur salutem, sic neque Iudæi existimabant Christum tanquam saluatorem ad eos missum, per cuius manum Deus illis salutem daret.

✠ Lucæ. 1.g.

Sequenti verò die apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, vt quid nocetis alterutrum? Qui autem iniuriã faciebat proximo, repulit eum, † *dicens: Quis te constituit principem & iudicem super nos? nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri Aegyptium? Fugit autẽ Moyses in verbo isto, & factus est aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos.*

† Exo.2.c Luc.12.b.

Nec minus eos taxat, qui saluatorem suum semper accusauerunt, & principem aut regem negauerunt, dicentes: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Ideo etiam fugit Christus ab eis ad gentes, ex quibus vxorem accepit Ecclesiã, ex qua filios in duplo plures quàm in synagoga, genuerit. Quod aũt dicit: reconciliabat eos in pace: Græcè est, συνήλασσεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην, id est, cõpulit eos ad pacẽ.

Et

Et exp letis annis quadraginta, †*apparuit illi in deserto mõtis Sina angelus in igne flammæ rubi. Moyses autẽ videns, admiratus est visum. Et accedente illo vt consyderaret, facta est ad eum vox Domini, dicens:* †*Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* †*Tremefactus autem Moyses, non audebat consyderare. Dixit autem illi Deus: Solue calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictionem populi qui est in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & descendi liberare eos,* † *Et nunc veni, & mittam te in Aegyptum.*

†Exo.3.a.

†Exo.3.d

32.q.4.c. Recurrat.

†Exo.3.a.

†Ibidem. Ioſ.5.b.

Moyses cùm transegisset annos quadraginta in domo Pharaonis, alios quadraginta profugus in deserto vitam egit pastoralem, & alios quadraginta populo Hebræorum præsedit. Cùm ergo oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian cogeret in desertum, tunc illi angelus Dei apparet. Angelum, Dei filium appellat, inquit Chrysostomus, & qui magni consilij angelus. Idem sentit August. de trinitate, lib. 2. cap. 13. & plerique doctores. Lyranius tamen credere videtur fuisse angelum, sed quia Dei personam repræsentabat, & in eius persona loquebatur, ideo aliquando Deus, aliquando angelus nominabatur. Apparuit autem in igne flammæ rubi, Græcè, ἐν φλογὶ πυρός, id est, in flamma ignis, vel ignea: sed in rubo arbusto, non in arbore, vt inquit Isidorus, ne fortè exculperent in eo Iudei idolum: à quibus semper Deus idololatrię occasionem abstulit. Cùm Moyses admiratus propius accederet, facta est ad eum vox Domini. Non pater, inquit Ambro. de fide, lib. 1. cap. 5. in rubo, non pater in eremo, sed filius Moysi locutus est. Denique de ipso Stephanus dixit: Hic est qui fuit in Ecclesia in eremo. Hic est ergo qui legẽ dedit, ipse qui locutus est Moysi, dicens: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: hic est Deus patriarcharum, hic est Deus prophetarum, hæc ille. Et propterea iussit illum soluere calceamenta pedum suorum, quòd terra esset sancta, tum propter Dei præsentiam, tum propter diuinam legem illic annunciandam. At vt Dominus populi afflictionem præuidet in Agypto, & clamoribus eius attẽdit, ita Deus popu-

Sina.

populi angustias vidēs, misit illi consolatorem eundem, vt eum à tot afflictionibus liberet. De monte Sina dicit Hiero. in De locis Hebraicis, quòd est mons supra Arabiam in deserto, iuxta Hereb montem Dei, in regione Madian, cui iungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Sunt plerique qui nomen Sina à סנה quod rubum significat quod & Græcè βάτος, Galli ce *ronce:* forsitan propter rubi ardentis, non comburentis miraculum, quē Moyses tunc opilio admiratur. In eo lex quinquagesimo die post exitū Israël de Aegypto data est Moysi. Ad huius radices populus mensibus decem, diebus viginti cōmoratus est, quo tēpore in vitulo conflatili absente Moyse fornicati sunt. In illo monte bis 40. dies ieiunauit Moyses. Iuxta illum fabrefactum est tabernaculum Domini cum omnibus apendicibus suis. ✠ Ibidem Elias. 40. dierum consummauit ieiunium.

✠ 3. Reg. 19. b.

Hunc Moysen, quem negauerunt, dicentes: Quis te constituit principem, & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu angeli, qui apparuit illi in rubo. † *Hic eduxit illos, faciens prodigia & signa in terra Aegypti, & in Rubro mari, & in deserto annis quadraginta. Hic est Moyses, qui dixit filijs Israël:* † *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me ipsum audietis.*

† Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 14. & 16. a † Exo. 19. a. Deut. 18. d.

Rursum Iudæos accusat, tanquam rebelles, & patribus admodum similes. Quia veluti cōtra Moysem à Deo ad eos principem & liberatorem missum, qui eos de Aegyptiaca seruitute eriperet, rebelles semper restiterunt: ita aduersus Christum missum à Deo, qui eos à diaboli seruitute eriperet, non solùm eos, sed & totum mundum, rebelles semper fuerunt, & eum tandem occiderunt: quātumuis propheta ille esset, quē Moyses illis promiserat, dicens: Prohetam vobis suscitabit Deus, &c. scilicet noui testamenti legislatorem, quemadmodū Moyses veteris. Nō quòd Christus, inquit Lyranus, propheta fuerit, quo ad euangelicam cognitionem, cuius anima ab instanti conceptionis diuinæ visionis claritatē habuerit, sed quia longè distantia à cognitione reuelabat.

Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit

cepit verba vitæ dare vobis. †*Cui noluerunt obedire patres* †Exod.
vestri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis in Aegy- 32.a.
ptum, dicentes ad Aaron: † *Fac nobis deos, qui præcedant* †Ibidem.
nos. Moysi enim huic, qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factum sit ei. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

Qui fuit in Ecclesia. Græcè Ecclesia significat concionem & congregationē. Sensus ergo est: Hic est qui in cōgregatione Israëlitica, hoc est, de congregatione illa existens loquebatur in solitudine cum angelo, vel cum filio Dei vt suprà narratū est. Sūt qui explicent sic γενόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, præfectum congregationis Hebraicè, quasi tunc primum verè præfectus sit in monte Sina, quando ei data est lex Israëlitis promulganda. De angelo autem, cum quo loquebatur Moyses in monte Sina, idē dici potest, quod paulo antè dictum est de angelo in medio rubi ardentis: à quo quidem accepit verba vitæ, decem inquam præcepta, ceremonias, & iudicialia, quæ daturus erat illis. Verùm quomodo inquit, fingitis eius legē tueri, quem patres nostri semper exacerbauerunt, & totiens irritauerunt, corda in Aegyptum habentes. Cùm verò pro illis legem super montem Sina à Deo reciperet, corda sua Aaroni, manifestauerunt, quæ ad idola potius prona erant, quàm ad Deū. Fac, inquiūt Aaroni, nobis deos: quos dixerunt se ab Aegypto eduxisse, cùm tamen nondum ficti aut excogitati essent, hos tamen adorauerunt tanquam verum Deum, hostias illis offerentes, ita quòd primas hostias, quas pro liberatione sua ab Aegyptiaca seruitute idolis obtulerunt, & dijs quos ignorabant, & non Deo, qui eos redemerat de manu inimici.

Conuertit autem Deus, & tradidit eos seruire militiæ cœli, *sicut scriptum est in libro prophetarum:* † *Nunquid victi-* †Amos.
mas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deser- 5.a.
to domus Israël? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus vestri Rempham, figuras quas fecistis adorare eas.

Militia cœli in scripturis sanctis, maximè in veteri testamento sumitur pro astris ipsius cœli, vt Deute. 17.

✠ Vt

✠Deut. 17.2. ✠Vt vadant,& seruiant dijs alienis,& adorent eos,solem & lunam, & omnem militiam cœli. Sic 4. Reg. 17. arguuntur Israëlitæ,quod adorauerint vniuersam militiam cœli. Et cap. 21. arguitur Manasses adorasse omnem militiam cœli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super terram. Tamen Isaiæ 24. militia cœli sumi videtur pro exercitibus angelorum,cùm finem iudicij explicans ait: Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam cœli: quanquam etiam de astris intelligi possit. At certè Lucæ 2. multitudo militiæ cœlestis non nisi pro angelorum cohorte & exercitu sumi potest. At quamuis Iudæi in deserto 40. annis Deo victimas viderētur offerre, hoc tamen compulsi faciebant: mente tamen auersi à Deo idolis seruiebant. Si autem,inquit Rabanus,postea leguntur Deo obtulisse, non bona voluntate, sed timore pro interfectione eorum, qui pro idolis corruerunt, factum est. Vbicunque enim occasio fuit, semper corde in Aegyptum sunt reuersi. de quibus Psalm. ✠ Quadraginta annis offensus fui generationi huic, & dixi semper: hi errant corde,& isti non cognouerūt vias meas,&c. Deus enim non quæ offeruntur, sed voluntatem offerentium præcipuè accipit. Hoc autem maximè probat per librum prophetarum,& primò Amos 5. in fine: secūdò Sophoniæ primo, vbi dicit Dominus: ✠ Et disperdam è loco hoc reliquias Baal,& nomina edituorum cum sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cœli. Quod autem propheta Sophonias ait de eo, non malè dicit in libro 12. prophetarum. Fortè etiam non malè punctum facies post militiæ cœli,& sicut scriptum est,iungetur cū loco sequenti: nunquid victimas. Quod vero dicit: Et suscepistis tebernaculum Moloch: locus hic paulo secus habetur Amos. 5. ✠ Et portastis tabernacula Moloch vestro,cui & imaginem idolorum,sydus Dei vestri,quæ fecistis vobis. Septuaginta secus habent: Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Remphā,figuras quas fecistis vobis. Quem locum (nam vero simile est Hebraicè locutum fuisse Iudæis Stephanum) Lucas, vt ferè solet,vertēs,70. interpretum textum vsurpauit. Erat autem Moloch idolum Ammonitarū,quod in idololatriā lapsus Salomon adorauit, 3. Reg. 11. Rempham autē siue Raphan

✠Psal. 94.b.

✠Sopho. 1.a.

✠Amos. 5.g.

Rapham, quo vsi sunt 70. Beda dicit esse Veneris planetam, qui & Lucifer, & Hesperus dicitur.

Et transferam vos trans Babylonem. Tabernaculum testimonij fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, †loquēs ad Moysen, vt faceret illud secundum formā quam viderat. †Quod et induxerunt, susci pientes patres nostri cum Iesu in possessionem gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, † vsque in diebus Dauid, qui inuenit gratiam, ante Deum, & petijt vt inueniret tabernaculum Deo Iacob. † Salomon autem ædificauit illi domum.

†Exod. 25.d. Heb. 8.d. †Ios. 3.c.d †1. Reg. 16.c. Psal. 131.a.

Hebræi, & similiter Græci 70. interp. habent trans Damascum, quod etsi Stephanus non ignoraret, quòd Damascus in propinquo erat Iudæis, per Epitasim dixit Stephanus vltra Babylonem. Quod postea factum est, abductis ad remotissima Mesopotamiæ Hebræis. Quod autem accusassent eum suprà 6. quia minaretur templi sancti ruinam, templum sanctum laudare incipit, quòd Moyses exemplari sibi à Deo in monte deliniato construxerit tabernaculum, post quod Salomon 480. annis templum construxit. Nec tamen putandum Deum in templo circumscribi, aut habitare, nisi per opera misericordiæ, & suæ potentiæ ostensionem. Christus verò, quo ad assumptam naturam, in templis specialiter continetur, & verius quàm alia loca, templa habitat.

1. Par. 16. c †3. Reg. 6. a. Infr. 17. f.

Sed non excelsus in manu factis habitat, sicut per prophetā dicit: †Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est? Nónne manus mea fecit hæc omnia?

†Isa. 66. a

Vide igitur hoc loco, quomodo Deus in tēplo habitare dicatur, & quomodo nō habitare. Non enim intelligit nō coli Deum præcipuè in templis, sed vult tollere Iudæorum opinionem, qui arbitrabantur sic in templo Ierosolymis habitare, vt alibi rogatus adiuuandi impios esset. Vel dicit propter carnales Iudæos, qui putabant eum circum scriptiuè, & locali continentia in templo habitare. Habitat autem per effectū & operationem: requiescit in seipso, vbi antequam mundum crearet, requiescebat. Vnde probat per Isa. cap. 66. Cœlū mihi sedes est, id est,

Ego

✠Isai.40.c. Ego sum vbique, tam in cœlo, quàm in terra, per præsentiam & potentiam, nullo circumscriptus loco, ✠qui cœlum & terram impleo, metior pugillo aquas, & cœlos palmo pondero. Quam ergo mihi domum ædificabitis ad habitandum? quasi dicat, nullã, nisi vt in illa inuocetur specialius nomen meum, fundãtur mihi preces, oblationes & sacrificia offerantur.

Dura ceruice, & incircuncisi cordibus & auribus. Vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, & vos. Quẽ prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iusti cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis: qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis.

Quòd autem accusabant eum tanquam blasphemum legem violasse, in eos retorquet blasphemiam, tum quòd semper obstinati fuerint aduersus legẽ, & legis prædicatores, scilicet prophetas, & quosuis pios & iustos viros. Necnouũ illis nomẽ inculcat, vocando eos dura ceruice, quo nomine Deus prius vocauerat Exod. 32. 33. Incircunciſos aũt corde & auribus eos vocat, qui infidelitatis pellicula obductum cor & aures haberent, vt nec intelligere, nec audire possent aut vellent, iuxta Isai. prophetiam: ✠ Excęca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Et cum his obstinationibus semper spiritui sancto restiterunt. Super quod ait Chrysosto. Quando spiritus sanctus nolebat esse sacrificia, vos sacrificabatis: quando volebat, iterum non sacrificabatis: quando noluit dare vobis præcepta, requirebatis: quãdo accepistis, neglexistis: iterum quando stabat templũ, idolis seruiebatis: quãdo vult absque templo hoc sibi seruiri, iterum contrarium facitis. Quia potuerunt respondere, quid nobis patrum peccata improperas? si talia patres nostri egerunt, quid ad nos: Beatus Stephanus subdit: Sicut patres vestri, & vos. Quemadmodũ enim prophetas aduentum iusti annunciantes patres vestri persecuti sunt, & vos ipsum iustum vsque ad mortem persecuti estis, ita legi & legislatori Moysi, & angelis legem dispo-

✠Isai.6.a Mat.13.b Mar.14.b Luc.8.a. Rom.11.b Ioan.12.f. Act 28.f.

ne-

nentibus, prophetis eam prædicantibus, spiritu sancto, & Christo eam adimplenti semper restitistis. Cùm dicit: qui accepistis legem in dispositione angelorum: Oecumenius sic interpretatur: Cùm legem accepissent ordinationes habentem, quæ facerent eos qui ipsam opere cõplebant, angelis similem seruare politiam. Quidam verò hoc aiunt, quòd per angelos statuta esset, & Moysi tradita per angelum, qui ipsi in rubo apparuit. Siue cum angelum fuisse dicamus, aut plures angelos, qui acceptá de manu Dei verbi legem saruandam ordinauerint cũ Moyse. Sic enim Paulus ad Gala. 3. Lex ordinata est per angelos in manu mediatoris.

†*Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cùm autem esset plenus spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* †Sup. 6. d

Quoniam videbant se contumeliam pati, & tamen iniuriam occidendi illum insufficientem, causam attendebant, ideo verisimilem saltem causam inquirebant, & ita dissecabantur interius præ angustia, & exterius tanquam rabidi canes dentibus stridebant, metuẽtes ne celebrior redderetur, si propter illatam ipsis iniuriam illum interficerent. Mortem Christi illis prius improperauerat, nũc resurrectionem eius, quippe quem videt in dextera Dei stantem, & quasi manum laboranti porrigentem, videt illum stare. Quia de resurrectione quæstio erat, & quia dixit, video cœlos apertos militi propter fidem & Christi resurrectionem certanti, habuerunt quod optabant, quia videlicet Blasphemiam reputabant, dicere, Iesum à dextris Dei sedere, quem vt hominem persecuti sunt, & pro tali occiderunt.

Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerũt vnanimiter in eum. Et eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant. † *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Do-* †50. dist. Si post. & 78. Presbyter.

mine Iesu, suscipe spiritum meum.

Existimantes autem hæc verba Stephani esse blasphe ma, obturauerunt aures suas, zelum Dei simulâtes, eiusque iniuriam pati nolentes, vel tam sanctam veritatem intelligere non potentes, vnanimes in malum, non in bonum concordes. Sed præcipuè falsi testes pecunia cõducti, qui vt leuius lapidarent eũ, eiecerũt extra ciuitatẽ, ne viderentur contaminare locũ, qui nec indignũ ducebant occidere innocentem: qui quidem testes conducti vestes suas ad pedes Sauli seruãdas deposuerũt. Quòd aũt Domino suum cõmendauerit spiritũ, innuit animas pro Christi fide morientium ab ipso suscipi.

Positis autẽ genibus, clamauit voce magna, dicẽs: Domine, ne statuas illis hoc peccatũ. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci eius.

Visum est hoc addere, quod de hac Stephani oratione dicit Emisenus Græcus antiquus author, ad finẽ homiliæ de S. Steph. Dum pro Iudęis supplicat, spem nostram ad fiduciam nutrit. Nam dum pro persecutoribus deprecatur, manifesta cultoribus suffragia pollicetur. Et ne de viuorum suffragijs intelligi putes, audi quid initio homiliæ dicit. Inter hæc inquit, itaque requiramus, quid necessitatis, quidue rationis sit cùm sancti martyres in illo paradisi lumine constituti humanis laudibus non indigent, aut tantis omnium studijs celebrentur, cur tantopere mundo huic eorum reliquiæ Deo reuelâte prodantur. Deinde respondet. Primùm ad hoc à sollicitis fidelibus excoluntur, vt sedulis cultoribus suffragentur. Quòd cùm reliquarum mentionem fecerit, indubiè de mortuorũ suffragijs sanctorũ intelligi debet. Itaq; beatus Stephanus in medio furore lapidantium testium nõ est oblitus etiam pro suis persecutoribus exorare Dominum, ipsum imitatus, qui dum crucifigeretur, ait: Pater, ignosce illis, quia nesciũt quid faciunt. Vtrum verò Stephani orationis virtute quibusdã dimissum fuerit peccatum? Certè his qui propter Stephani persecutionem resipuerunt, dimissum est illis peccatum, ita quòd nec immeritò addidit Saulũ in necem eius consentientem: propter cuius orationem dicit Augu. in Ser. 1. de S. Stephãno

phano Paulũ cõuersum. Nã si Stephanus inquit, sic non oraſſet, Eccleſia Paulũ non haberet. Sed ideo erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.

CAPVT OCTAVVM.

Lapidato Stephano grauis ſecuta eſt perſecutio in diſcipulos Chriſti, imprimis à Saulo: vnde diſperſi ſunt diſcipuli, præter Apoſtolos, per vniuerſam Iudæam & Samariam. Philippus autem diaconus Samariæ multos conuertit, et baptizauit, cum Simone mago, ad quos confirmandos miſsi ſunt ab Ieroſolymis Petrus & Ioannes. Philippus autem ab angelo iuſſus eſt adire Eunuchum Candacis reginæ, & eum baptizare.

FActa eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia quæ erat Ieroſolymis, et omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos. Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. †Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam. Igitur qui diſperſi erant, pertranſibant euangelizantes verbum Dei. †Inf. 9. a.

Hæc itaque perſecutio præter Iudæorum intentionem cedit in melius, dum diſperſi per varias regiones diſcipuli ampliorem ſeminandi verbi nacti ſunt opportunitatem, & multo plures cum perſecutione acquiſierunt Chriſto diſcipulos, quàm ſine perſecutione. Interea quidam viri religioſi inſtaurant Stephano funus, eumque cum honore ſepelierunt. Quod autem dicit, curauerunt, Græcè eſt συνεκόμισαν, quod ita vertit Eraſmus, quemadmodum interpres. Aptius autem verti poterat, extulerunt: eſt enim συγκομίζω, quemadmodum & ſimplex κομίζω, idem quod effero mortuum, ac ſepelio. Paulus autem à Stephani cæde factus audacior, facultatem impetrauit ingrediendi domos, & trahendi quoſcunq; inueniret viros ac mulieres Chriſtum confitentes, etiã cum violentia ad principes. Vnde plures coëgit domos ſuas relinquere, & vndique diſpergi, ad verbum Dei promulgandum: quod tamen intendebat prorſus ſilentio tegi.

Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat.

Hic Philippus non est vnus è numero duodecim Apostolorum, sed vnus è septem diaconis, qui cum Stephano electus est, sicut ibidem diximus. Quod si Polycrates & Clemens ad Eusebium Apostolum eum nominant, latius extendunt nomẽ Apostoli, quàm ad numerũ duodenariũ. Nam & Paulus, & Barnabas Apostoli dicuntur, quẽadmodum & Philippus postea Apostolatus munere donatus est. Hic autem descendens in Samariã conuertit eam, quanuis non essent ex Iudæis, sed ab Assyrijs missi in locum decem tribuum captiuarum per Salmanasar apud Assyrios, vt patet 4. Reg. 17. Hi enim qui ex Assyrijs missi sunt in Samariam, fecerunt sibi idola secundum morem patriæ, à qua missi erãt. Ipsi igitur Samaritæ idololatræ erant, tenẽtes tamen Moysi Pẽtateuchum simul cum idolis, & expectantes Messiam, vt patet Ioan. 4. Ipsi autem ad Philippi prædicationem facilè crediderunt, videntes quia dæmones in nomine Iesu eijciebat, paralyticos & claudos curabat, & plurima alia signa faciebat. *Multi enim qui habebant spiritus immũdos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici & claudi curati sunt. Factum est ergo gaudium in illa ciuitate.*

Secus habent Græca: neque enim qui habebant spiritus, exibant clamantes. Sic Græcè est: πολλῶν γὰρ τῶν ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα, βοῶντα ἐξήρχετο. Quæ verba Erasmus credidit non posse ad verbum reddi, quia τὰ πνεύματα ἀκάθαρτα accusatiui casus esse credidit. Quod si verum esset, commoda non esset lectio Græca. Est enim πνεύματα nominatiui casus, reddens suppositum verbo ἐξήρχετο, reponendaque est virgula quæ est post ἀκάθαρτα, post ἐχόντων, & tũc Græcorum sensus est: A multis enim obsessis exibant spiritus immundi, clamantes voce magna.

Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquẽ magnum, cui auscultabant omnes, à minimis vsque ad maximum

mum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos. Cum verò credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei in nomine Iesu Christi, baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Hunc Simonem suis coloribus depingit Clemēs papa lib. 2. Recognitionum. Simon hic inquit, patre Antonio, matre Rachel natus est, genere Samaræus, ex vico Gittorum, arte magus, Græcis tamen literis liberalibus ad primè eruditus, gloriæ ac iactantiæ supra omne genus hominum cupidus, ita vt excelsam virtutem, quæ supra creatorem Deum sit, credi se velit, & Christum putari, atque stantem nominari. Hac autē appellatione vtitur, quasi qui neget posse se aliquando dissolui, adserens carnem suam ita diuinitatis suæ virtute compactam, vt posit in æternum durare. Hinc ergo stans appellatur, tanquam qui non possit vlla corruptione decidere. Et multa alia se iactat facturum, quæ ibi videas. De quo etiam plurima narrat Ephiphanius hæresi. 21. contra Simonianos. De quo etiam Hierony. dicit: Simon hic in tantam prorupit superbiam, vt diceret: Ego sum sermo Dei, ego virtus Dei, ego omnipotens, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnia Dei. Hæc ille super Matt. 24. Multi enim venient in nomine meo, dicentes. Quod autem dicit: Propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos, Græce est, διὰ τὸ ἱκανῷ χρόνῳ ταῖς μαγείαις ἐξεστακέναι αὐτοὺς, id est, eo quod magijs suis in furorem & insaniam egisset eos, aut de statu mentis eiecisset: quod quidem interpres rectè intellexit verbo dementandi, quanquam in hoc sensu minus Latino vsus. Puto interpretem vertisse magijs, sed facilis fuit interpositio literæ c. & ita inoleuisse vsus magicis. Hic autem Simon quantumuis credidisse dicatur Philippo, & illi adhæsisse, plerique dicunt hoc fictè fecisse, vt hæc signa quæ faciebat Philippus, suis magijs addere posset, & ex his facere quæstum. De quo hic Beda ait: Quod magis credibile est, credere se, quousque baptisma susciperet,

simulauit, vt quoniam laudis erat audisimus, ita vt Christum se credi voluerit, artes quibus miracula faceret, ab eo discere: quoniam admirabatur, qualiter Philippus tam admiranda signa facere posset.

†De sacr. vnctio ca. §. Per sonas.

† *Cùm audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent orauerunt pro ipsis, vt acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu.* † *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum.*

† De cõsec. di. 5. c. Manus.

Ex his constat hunc Philippum non fuisse vnum ex 12. Apostolis, quippe qui manus impositione non dabat spiritum sanctum. Creditur autem misisse Ierosolymam ad Apostolos, vt mitterent quendam ex societate, qui manus credentibus & baptizatis imponeret. Tunc miserunt Petrum & Ioannem: quoniam Apostolorum, & ex consequenti episcoporum est manus imponere: nec Philippus huiusmodi donum habebat. Aduenientes igitur Apostoli, Petrus & Ioannes orantes manus imposuerunt baptizatis, & visibili signo acceperunt spiritum sanctum: nondum in quenquam illorum venerat, nõ quòd spiritum sanctum remissionis peccatorum non accepissent baptizati in nomine Iesu, sed quia visibilia spiritus sancti dona, cuiusmodi sunt dona variis linguis loquendi, miracula edendi, &c. non acceperant.

†1. q. 4. c. Ecclesia.

Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatẽ, vt cuicunque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: † *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

Cùm ergo Simon à Philippo baptizatus videt se non accepisse dona spiritus sancti, volens esse Philippo superior, petijt ab Apostolis hanc potestatẽ sibi pro pecunia dari, quam nec Philippus habebat. Qui à Petro tanquã indignus reiectus est, Quare illum morte non puniuit, sicut

ſicut Ananiam, dicendum, quòd ipſe confeſſus eſt culpam, non Ananias, ideo meruit dilationem, ſufficiebat enim pœnitentia ad Petri correptionem: & quia nemo ad fidem cogi debet, ſed volens ſuſcipiendus eſt.

Non eſt enim tibi pars, neque ſors in ſermone iſto. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaq; age ab hac nequitia tua, & roga Deum ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.

Aut nomine ſermonis, quemadmodum & verbi, vſus eſt more Hebræo Lucas pro re quacunque, quemadmodum Hebræi τὸ דבר dabar vtuntur, quod Euangeliſtæ nunc λόγος, nunc ῥῆμα vertunt Græcis ſuis, pro vocabulis res aut factum abutentes. Ita τὸ λόγον hoc loco, quo Lucas nunc vtitur, vertere poſſumus, in hac re, vel in hoc facto non eſt tibi pars. Aut ſi volumus λόγον vertere per rationem aut cauſam, ſenſus erit: in hac ratione & cauſa non eſt tibi pars. quaſi diceret: non es dignus particeps fieri huius poteſtatis dandi ſpiritum ſanctum, quia non habes cor rectum, ſed cupidum, cùm ſimplicem & ab auaritia alienum oporteat eſſe, qui huius muneris particeps eſſe cupit. Amaritudo enim dulcedini contraria eſt: dulces autem ac mites ſpiritus ſanctus viſitat: vnde in ſpecie columbæ apparere multotiens viſus, quæ amaritudine & felle caret. Quocunque autem cor ſe conuerterit in terrenis rebus, amaritudinem inuenit: vnde dulceſcat, non habet, niſi leuet ſe ad Deum. ✠ Quoniam non habet amaritudinem, conuerſatio illius, Sap. 8. Hic Simon pœnitétiam simulat: ſed qualem plagam inuexit in Eccleſiam, quem plerique ſub ſimulatione imitantur in numeris pactis dona Dei alienantes, ſub obligatione iniquitatis poſt Simonem corruentes ad ima.

✠ Aug. in Pſal. 85. Sap. 8. c.

Reſpondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat ſuper me horum quæ dixiſtis. Et illi quidem teſtificati & locuti verbum Dei, redibant Ieroſolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.

In hoc loco omnes Græci & Latini fictam Simonis pœnitentiam interpretantur, ad vitandam pœnam, quã metuebat ab Apostolis, forsan Ananiæ & Sapphiræ exẽplo instructus. Ideo precatur Apostolos, vt Deũ pro illo precentur, ne hoc peccatum Simoniæ imputetur sibi ad pœnam temporalem, & æternam: quam non vsque adeò timent huius tempestatis Simoniaci. His auditis redeũt Apost. Ierosolymã, in multis locis euangelizãtes.

Angelus autem Domini locutus est ad Philippũ, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam, hæc est deserta. Et surgens abijt.

Angelus Domini nec Eunucho apparuit, nec eum ad Philippũ adduxit, qui nec apparitionibus esset assuetus, in quibus audiendis attonitus fuisset, nec forsan venisset, quia non credidisset. Nec omnino illi eundem erat ad meridiem, sed inter occidentem & meridiem, si recta est tabula Palæstinæ: à Samaria ad Gazam desertam iter est. Gaza autem duplex fuit. Primam vetustissimam fuisse sacra testatur historia. Quanquam suspicetur Hieronymus, sit ne illa, quam ad tribum Iudæ pertinuisse ferunt, an alio in loco sita sit, quam temporum iniuria extinxerit, alio mox in loco eius nomine Gaza enata, quæ etiam hodie extet. Pomponius libro Geographiæ primo à Cambyse Persarum rege vocatam autumat: quoniam bello contra Aegyptum suscepto, illò regias opes contulisset. Fuit ex Philistæorum quinque orbibus ordine secunda, cuius fores Sampson media nocte in montis verticem transtulit. Cumque adeò munita esset & diues, vt multos hostium incursus nullo discrimine ferret, donec Alexander Macedo iuxta prophetarum verba post bimestrem obsidionem occupans, in sempiternum vertit tumulum, ob id desertam vocari hic à Luca putandum est. Nouam postea ædificarunt, quam in honorem Constantini Constantiam vocarunt: post quem veniens Iulianus, rursum Gazam, sed maritimam vocari voluit. Floruit hæc Hieronymi ætate adeò ampliata, vt duplo maior ambitu Ierusalem diceretur, distatq; à priore quinque circiter miliaribus. Hanc hodie Gazeram nuncupant.

Gaza.

Et

Et ecce vir Aethiops, Eunuchus, potens Candacis reginæ Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem, & reuertebatur sedens super currum suum, legensq; Isaiam prophetã. Dixit autem spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legẽtem Isaiam prophetam, & dixit: Putas ne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?

Candaces non est nomen proprium reginæ vnius: sic enim appellabantur reginæ Aethiopum, quemadmodũ Aegyptiorum reges, Pharaones. Teste Plinio, qui lib. 6. cap. 29. regnare inquit, retulerunt fœminam Candacen: quod multis iam annis nomen ad reginas transijt. Vnde Aethiopes omnem regis matrem Candacen appellant: siquidem Aethiopes regum patrem non referunt, sed illos tanquam veros solis filios tradunt: vniuscuiusque autem matrẽ Candacen appellant. Vna igitur illi Aethiopiæ regina erat nomine Candacis, cuius Eunuchus prę-erat conclaui thesaurorum regiorum, vt testatur Lucas: qui & religiosus, quippe qui scripturarũ studiosus esset, & adoraturus Ierusalem venisset. Huius igitur misertus Dñs, doctorem misit ad eum, qui & credenda, & agenda doceret: sicut infrà de Cornelio, quia vterque quod suum erat curabat, & ad veram se religionẽ disponebat.

Rogauitq; Philippum vt ascenderet, & sederet secum. Locus autem scripturæ, quam legebat, erat hic: †Tanquã ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius. †Isa. 53. c.

Non ex industria, sed spiritus sancti prouidentia in hũc locum incidit Eunuchus, ex quo facilè ad fidem informaretur. Hic enim locus finem peregrinationis Christi complectitur, passionẽ inquam, & resurrectionem. Vnde ait: Tanquam ouis ad occisionem ductus est. De quo Hiero, in eundem Isaiæ locum: Hoc testimonium, cùm in Actibus Apostolorum reginæ Candacis Eunuchus rheda veheretur, & legens non intelligeret, interpretan-

te Philippo super passione & nomine saluatoris, intellexit, & statim baptizatus in agni sanguine, quem legebat, vir meruit appellari, & Apostolus genti Aethiopũ missus est. Tanquam igitur ouis, quæ ducitur ad victimam, non murmur resonat, non repugnat ducenti, sic ille passus est voluntate, vt destrueret eum qui mortis habebat imperium: & sicut agnus coram tondente non clamat, ita cùm sponte pateretur, tacebat. In omnibus angustijs & tormentis humilis, non rebellis de iudicio Pilati, & de sepulchro per resurrectionem sublatus est, & illatum mortis iudicium per Pilatum, per resurrectionem euasit. Vnde maximè admiratur Isaias, dicens: Generationem eius quis enarrabit? De qua August. de symbolo ad Catechumenos libr. 1. cap. 3. Natus de patre sine tempore, natus ex virgine est in plenitudine temporis: istam natiuitatem anteceſſerant tempora, opportunitate temporis, quando voluit, quando sciebat, tunc natus est. Non enim nolens natus est. Nemo nostrum quia vult nascitur, & nemo nostrum quando vult moritur. Ille quando voluit natus est, quando voluit mortuus est: quãdo voluit natus est de virgine, quando voluit mortuus est in cruce. Hæc ille. Vtraq; igitur generatio est inenarrabilis. Prima enim, quia de patre sine matre ante secula cuncta genitus: secunda, quia de matre sine patre in seculo natus. Sed & sublata est per passionẽ vita eius, & inde per ascensionem sublimior cœlis factus, & super omnia quæ in terra sunt eleuatus est, iuxta illud Psalmistæ.

*Psal. 8. a. ✠ Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.

Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc, de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à scriptura ista, euangelizauit illi Iesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus.

Sollicitus itaq; Eunuchus, de quo prophetarum hæc tam mira narrãtur, rogat Philippum hæc edoceri, quem ex habitu & gestu credidit percelebrem & doctum virum esse. Hunc igitur esse Iesum, & hanc in eo esse cõpletam scripturam, Philippus Eunucho prædicat. Cui etiam obediẽs, statimq; baptizatus, missus est ad regio-

nes

nes Aethiopæ, prædicaturus hoc quod ipse audierat, & crediderat. Deum quidem vnum per prophetas prædicatum, huius autem filium iam secundum humanitatem aduenisse, & vt ouem ad victimam ductum esse, & quæcunque de ipso dixerunt prophetæ, egisse, vt impleatur prophetia: ✠Aethiopia præueniat manus eius Deo. Hic autem Eunuchus fertur suscepisse Matthæum in ciuitate Regali Nadaber, huc missum ad Christi verbũ euangelizandum. ✠ Psal. 67.

Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dicit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.

Adultos oportet per seipsos fidem, infantes per leuãtes confiteri: ideo Eunuchus petens baptismum, interrogatur à Philippo, si credat ex toto corde, & non fictè, sicut Simon magus. Ideo non erubuit coram familia nudari, qui peccata sua coram Deo non erubescebat propalari: & descendens in aquam baptizatus est.

Cùm autem ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus: ibat autem per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto, & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

Dominus autem ab eo abstulit Philippum, quia contentus esset, eo quòd à Philippo dicerat: ne quid amplius ab eo peteret, ideo lætus discedebat. Philippũ autem spiritus Domini, vel angelus in spiritu Domini statuit in Azoto, 40. circiter miliar. à Gaza distante, & totidem ab Ierusalem. Sita enim est in tribu Dan, vna ex præcipuis vrbibus Philistinorum, Philippi prædicatione insignis, in qua longo tempore post ingressum filiorum in terram sanctam remanserunt Enachim gigantes. Philippus inde post multam prædicationem profectus est Cæsaream Palæstinæ, vbi domũ habebat, quam ad tempora Hieronymi ostendebant. de qua infrà capite decimo. Azotum.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Paulus Christianos ab Ierusalem in Damascum persequens, postratus conuertitur, baptizatur, & Christum super cæteros annunciat, per murum demissus in sporta Iudæorum euadit insidias, à Barnaba introducitur ad Apostolos. Petrus interea Lyddæ Aeneam paralyticum curauit, & Ioppe Tabitham suscitauit.

†Gal.1.c. Infr.22.a. Supr.8.a. † *Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.*

Saulus legem ad primè à Gamaliele edoctus, cùm Stephanum lapidibus obrui cerneret, lapidantiũ vestes seruabat, vsque adeò in Christianorum persecutione delectabatur: ex quo cœpit illis esse infestus, vt non modò Ierosolymis præsentes cæde afficiebat, sed & foris minis oppugnabat. Nam Ierosolymis domos irrumpens, viros ac mulieres Christum confitentes vi abducebat, ac carceri mancipabat. Nec his contentus, literas à principe sacerdotum ad Damascenas synagogas impetrauit, vt si quos illic huius viæ ac doctrinæ viros aut mulieres inueniret, cum Damascenorum auxilio ac fauore caperet, ac vinciret, & Ierusalem vinctos adduceret morte plectendos. Iam bona itineris parte confecta, ijs furijs, eoq; malo consilio agitatus, excæcatur, & equo decidit. Vnde sequitur:

† 23.q.4. Displicet. †Inf.22.b 1.cor.15.b 2.cor.12.a Gala.1.c. *Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco,* † *& subitò circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi:* † *Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi cõtra stimulum calcitrare. Et tremẽs ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatẽ, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.*

Equo itaque delapsus, in terra iacens, huiusmodi vocem

cem audiuit: Saule, Saule, quid me persequeris, & adeò ad me oppugnandum afficeris? Si mecum certare tibi liceret, multo sum te fortior, ideo non est tibi calcitrandum. Is multum attonitus rogat: Quis tu Domine? Ego inquit, sum ille Iesus, quem tu tam infesto animo pergis oppugnare. Tu autem proficiscere Damascum, & ibi audies quid sis deinceps facturus. Iam non est tibi certamen cum hominibus. Quærit hic Chrysostomus, quare hoc non ei contigit vel Ierosolymis, vel Damasci, sed in via. Hoc factum est, ne alijs liceret aliter narrare, quod illi contigisset, sed ipse tãquam fide dignus referret, quæ vidisset, & passus fuisset. Hac autem visione excæcatus est, quoniam fortius obiectum sensum debilitat, & grauare solet. Hunc autem solum, non comites excæcauit illa lux, quòd nõ æquali animo, obscuratáq; in Christũ animaduersione cæteri afficiebantur. Quo etiam terrore affectus furorem deposuit, & mitior factus, huius seruum dicit, quem Dominum vocat, & tanquam hostem persequebatur.

Viri autem illi qui comitabantur, cum eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

Non eam quæ desuper lapsa erat vocem audierunt hi qui cum Paulo erant, sed Pauli duntaxat vocem, vt ipse infrà cap. 22. dicit: Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Vult ergo comites Pauli responsionem quidem eius, qua Christo respondebat audire, Christi autem vocem non audire. Si enim vocem illam, inquit Oecumenius, audissent, nequaquam increduli permansissent. De hoc amplius infrà cap. 22.

Surrexit autem Saulus de terra, apertisq; oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non mãducauit, neque bibit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce, ego sum Domine. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicũ qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem. Ecce enim orat. Et vidit per visum virum Ananiam nomine introeuntem

euntem, & imponentem sibi manus, vt visum recipiat. Respondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem, & hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes qui inuocant nomen tuum.

Cùm mitteretur Ananias à Domino ad Paulum, ipse Paulus per visionem vidit illum venientem, & sibi manus imponentem, vt visum recuperaret, vt cùm veniret Ananias, certior fieret Paulus, quia à Christo ad illum mitteretur. Hic autem Ananias Iudæus erat, de tribu Iuda, vnus ex 70. discipulis, & diaconus, sed imminente
Damasc⁹ persecutione Damascum profugus venit. Est autem Damascus vrbs præter vetustatem Pauli etiam ad vitã conuersi Christianam memoria nobilis, itinere dierum circiter duodecim ab Ierusalem distans, Syrorum sedes regalis. Procul ab vrbe ad primum lapidem locus ostẽditur, vbi Paulus consternatus minas spirare desijt, indeq; ad domum Iudæ ductus intra vrbis muros, benedictione Ananiæ ex persecutore Christianæ fidei egregius propugnator repentè factus est. Hic autem Paulus Tarsensis dictus, à Tarso Ciliciæ oppido, in quo natus fuerat, & tandem Ierosolymam ad literas perdiscendas missus.
Tarsus. Est autem Tarsus metropolis Cilicię ciuitas, & quã Romani incolumi etiam Imperio propter dignitatẽ & vetustatem liberam esse voluerunt. Hæc nobis Paulũ Apostolum genuit, virum citra cõtrouersiam sanctissimum, & quem eruditionis excellẽtia cæteris Apostolis preferre nõ dubitauit vir doctissimus Eusebius Cæsariẽsis, vt mirum non sit in tot locis tanta disciplina, grauitate, cõstantia, haud ita multis retro seculis Christianam fidem per tot celebres Ecclesias Ciliciam coluisse, quæ tam fideli iam olim doctore profecerit. Ad Paulum igitur missus Ananias, non alius Apostolus, ne videretur ab eo edoctus, sed sola inspiratione diuina. Obstupefactus Ananias, non audet virum adire, quem fugerat ab Ierosolymis, cùm Christi fideles persequeretur.

†21.di.ca. Quoduis. 22.di.ca.2 In princ. †*Dixit autem ad eum Dominus: †Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus & regibus, & filijs Israël. Ego enim ostendam illi quãta*

opor-

oporteat eum pro nomine meo pati.

Securum reddit Dominus Ananiam ſuper moderatione Pauli, qui non ſolum fidelis factus erat, ſed doctor conſpicuus, qui adeò magna libertate loquetur, vt & reges, & principes vincat, atq; tanquam verus præceptor & prædicator vniuerſi orbis: ad quē nomē meū portet, pro cuius prædicatione & fidei defenſione multa paſſurus eſt, quòd ad id muneris exequendi elegi eum.

Et abÿt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, vt videas, & implearis ſpiritu ſancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamæ, & viſum recepit, & ſurgēs baptizatus eſt, & cùm accepiſſet cibum, confortatus eſt.

Ad hanc igitur Domini iuſsionem accedit Ananias ad Paulum, tanquam medicus ad ægrotum, & curat eū exterius & interius, quia manuum impoſitione ceciderunt ſquamæ ab oculis, quæ lucis excellentiſsimæ virtute ſuper oculos eius excreuerant, & baptizatus conualuit ab ægritudine, quam incurrerat ex itinere, ex metu, ex lapſu, ex triſtitia ob cæcitatem à Deo ſibi repentè immiſſam, vt maiorem intelligeret Chriſti virtutem.

Fuit autem cum diſcipulis qui erant Damaſci per dies aliquot. Et continuò ingreſſus in ſynagogas, prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant: Nónne hic eſt qui expugnabat in Ieruſalem eos qui inuocabant nomen iſtud, & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes ſacerdotum?

Factus itaque Paulus audacior, Synagogas ingreſſus Chriſtū palàm prædicabat: & quia nouerat legem, & ex locis præcipuis legis Chriſti vitā, mortē, & reſurrectionem nullo diſcrimine eliciebat, omnium Iudæorum ora obturabat. Cùm.n. doctor eſſet, & legis ſcripturas adprimè nouiſſet, non erubeſcebat ea deſtruere, in quibus clarescebat. Vnde attonitos oēs reddebat, vt dicerēt: Nónne ille perſequebatur Ieroſolymis oēs qui inuocabant nomē iſtud, & ad hoc miſſus eſt, vt qui inuocarēt Damaſci nomen iſtud, perduceret mulctandos in Ieruſalem.

Saulus

Saulus autem multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.

Iudæos quos prius ex lege sua confuderat Stephanus Ierosolymis, multo validius hic Paulus confundit, & ex scripturis confutat, affirmans quoniam hic est Christus. Græcè est pro affirmans, συμβιβάζων. Est autem propriè συμβιβάζειν non simpliciter affirmare, sed ex collatione multorum locorum aliquid docere ac probare. Itaque loci huius sensus est: συμβιβάζων ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστὸς: id est, ex collatione sacrorum vaticiniorum docens ac probans, quoniam Christus est, ille scilicet in lege promissus Messias.

Cùm autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent. †Accipientes autem eum discipuli eius nocte, per murum demiserunt eum, submittentes in sporta.

† 2. Cor. 11. g. 27. q. 1. ca. Aduersitas. 2. cor. 2. d

Iudæi Paulum callidum agnoscentes, non falsos testes inquirunt: sed per seipsos moliuntur quod per falsos testes exequi soliti sunt, consilium ineunt, vt per se illum interficiant. Quorum insidias cognoscentes discipuli, quos iam nactus fuerat propter eius industriã, per murum demittunt in sporta, & sic eorum manus euasit. Hãc fugam narrat ipse Paulus inter discrimina sua 2. Corin. 11. Ad Gala. verò cap. 1. dicit se primò in Arabiam, antequam veniret Ierosolymam, profectum, & inde in Damascum rediisse. Vel ergo ante hãc fugam profectus est in Arabiam, & ex hac fuga Ierosolymam, vt sequitur.

Cùm autem venisset in Ierusalem, tentabat se iungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narrauit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu. Et erat cum illis intrans & exiens in Ierusalem, fiducialiter agens in nomine Domini.

Quid ergo de hac in Ierusalem profectione dicẽdum sit,

sit, dubitat Chrysostomus, & post eum multis rationibus Oecumenius. Sed vide Commentarios meos in epistolam ad Galatas, quia non video nunc aliter dicendum. Profectus itaque Ierosolymam, non statim discipulis adhærererе audebat, metuens ne illum potius insidiatorem, qualem prius cognouerant, quàm discipulum crederent. Illis tamē modestè quidem de se sentiēs tandem vt discipulus adiunctus, quamuis præceptor esset, & inde à Barnaba ad Apostolos abductus, illis & quæ in itinere, & quæ Damasci contigerāt, ex ordine narrauit, atq; quomodo Damasci fiducialiter cum Iudæis egerat, vt etiā illi insidiarentur ad mortē. Fiducialiter aūt agēs, Græcè est παῤῥησιαζόμενος, id est, liberè ac cum fiducia loquens & agens: idem verbum, quo paulo antea vsus est, vertens, fiducialiter egerit quod tamen hic magis quadrat, si ad loquendi prædicandique fiduciam referamus, quàm agendi.

Loquebatur quoq; Gentibus, & disputabat cum Græcis. Illi autem quærebant occidere eum. Quod cùm cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.

Neque enim illum voluerunt videre Iudæi principes, qui eum Damascum miserant: attamen tutè loquebatur cum Gentibus & Græcis, qui scilicet Græcè loquebantur, quanuis Iudæi essent. Quos ideo vocat Ἑλληνιστάς, id est, Iudæos Græcè loquentes, & græcizantes, & fortè in Græcia natos. Qui etiam illi mortem intentabant. Quod metuētes discipuli, ne postea illi idem, quod Stephano, fieret, deducunt illum in Cæsaream Philippi, & inde in Tarsum patriam suam. Tres autem famosæ vrbes fuerunt nomine Cæsareæ: Vna est Palæstinæ in litore maris sita, quæ olim Πύργος, id est, turris Stratonis vocabatur, quam in honorem Octauiani Augusti præclarius extruxit Herodes maior. Hic habitauit Cornelius, de quo cap. sequenti. Altera est Cæsarea Philippi nomine, quam Philippus Herodis maioris filius in honorem Tyberij Cæsaris instaurauit, & Cæsaream nominauit, quæ & Paneas prius dicebatur, à Dauitis ædificata, quæ antea Lais dicebatur, vt patet Iudicum 18. ca. Cæsarea.

de qua nunc ad propositum, vrbs est Phœniciæ, ad radices Libani sita, vbi finit fontes Iordanis. Tertia est Cæsaræa Cappadociæ metropolis, vrbium dignatum memoratu maximè clara. Hæc prius, vt suprà cap. 2. Mezaca dicebatur, postea à Claudio Tyberio Imperatore Cæsarea dicta. Iulianus autem, eo quòd Christiana esset, vrbis odio, & tali nomine indignæ, vt putabat, Cæsareæ vocem obliterare, & reducere veteris vsum contendebat. De Tarso suprà eodem cap. diximus, patria quidē Pauli, verùm an illic natus fuerit Paulus, an Giscbalis, & inde eo translatus, vt dicere videtur Hiero. ignoratur: quanquam nullam Giscbalis mentionem Paulus vsquam faciat. Giscbalis enim Galilææ oppido relicto Tarsum migrasse Pauli parentes Hieronymus innuit, an verò ante Pauli natiuitatem, vel post, nō dicit. Paulus enim Act. 22. Ego sum inquit, vir Iudæus, natus Tarso Ciliciæ, nutritus aūt in ista ciuitate, secus pedes Gamalielis eruditus. Vnde cùm libera esset Tarsus ciuitas, ac Romano iure gaudens, infrà 22. rogante Paulum Tribuno: Dic mihi si tu Romanus es? Respondit: Etiam. Et dicente tribuno: Ego multa summa ciuitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum, id est, in libera ciuitate, quæ priuilegijs gaudet Romanis, Romanus natus sum. Vnde vero similius est dicere Giscbalis oriundum, Tarsi verò ortum & natum.

Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacē, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti spiritus replebatur.

Persecutionis quidem tempore, dum bellum vrgebat Ierosolymis, Apostoli versabantur, ibiq; prædicabant, & Ecclesiam illustrabāt: reddita verò pace Ecclesiæ in vniuersa Iudæa & Galilæa egrediebantur Apostoli, & alijs prædicabant. Hæc tota sententia apud Græcos pluralis est, quòd persecutio post mortem Stephani dispersit Ecclesiam Ierosolymitanā in varias Ecclesias: quibus cùm pax reddita fuit, Petrus vrbem exiens, Ecclesias per vniuersam Iudæam, Galilæam, & Samariam visitabat, & spiritus sancti consolatione multiplicabat.

Factum est autem vt Petrus dum transiret, vniuersos deueniret

ueniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ. †*Inuenit autem* †Sup. 32.
ibi hominem quendam nomine Aenæam, ab annis octo iacentem in grabbato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenæa sanet te Dominus Iesus Christus. Surge, & sterne tibi. Et continuò surrexit. Et viderunt eum oēs qui habitabant Lyddæ & Saronæ, qui conuersi sunt ad Dominum.

Petrus Ierosolymis prædicato Euangelio annunciat eam per ciuitates & castra. Et primò Lyddam aduenit, vbi Aenæam iamdudum paralyticum sanat, nō interrogatum quid de fide sentiret: inde non tantùm illum sanauit, sed & totam ciuitatem Christo acquisiuit. Signa enim, inquit Oecume. partim fiebant, vt alij ad fidem attraherentur: partim verò, vt credentes cōsolarentur. Inde ad multorum consolationem factum est hoc miraculum. Lydda ciuitas Palæstinæ maritima, vna ex decē toparchijs, & ordine tertia, inter Ioppe & Ierusalem, à Cęsarea Palæstinæ circiter mille passus distans, quæ postea Diospolis, id est, Iouis ciuitas nuncupata est. Præcipuū inter Iudææ oppida fuit, in qua Petrus hoc miraculum fecit, cùm iam fides etiam extra Ierusalē dilataretur. Sarona autem apud Græcos, qui nunc extant codices, Assarona dicitur: quanquam Hiero. commentarijs in Abdiam non Assarona, sed Sarona legit, quam Campestrem interpretatur, inter Palæstinam Cæsaream, & Ioppe. Cui magis credendum est, quippe qui locorum αὐτόπτης fuerit, & spectator assiduus. Lydda. Sarona.

In Ioppe aūt fuit quædā discipula noīe Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat. Factū est aūt in diebus illis, vt infirmata moreretur. Quā cùm lauissent, posuerūt eā in cœnaculo. Cùm aūt prope esset Lydda ab Ioppe, discipuli audiētes quia Petrus esset in ea, miserūt duos viros ad eū, rogātes. Ne pigriteris venire ad nos: Exurgēs aūt Petrus venit cū illis.

Ioppe, nunc Iapha, vel Iapho, oppidum Palæstinæ, tribus Manasse, toto orbe terrarum antiquissimum, etiam ante aquarum sub Noë inundatione, sed à filio Iapheth instauratum, & ab eo nuncupatum. Alij ab Ioppe Aeoli filia, & Cephæi vxore. Hic locus est, inquit Hieron. in Ionam cap. 1. in quo vsque hodie saxa monstrantur in Ioppe.

littore, in quibus Andromeda religata Perſei quondam liberata præſidio. Idem teſtatur Pomponius, Plinius, atq; Tullius, quod pro hiſtoria, nõ fabula referre exiſtimant, licet poëticis veletur figmentis. Huc vocatus Petrus à Lydda Tabitham mortuam ſuſcitauit.

Et cùm veniſſet, duxerunt illum in cœnaculum, & circumſteterunt eum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes quas faciebat illis Dorcas. Eiectis aũt omnibus foras, Petrus ponens genua, orauit, & conuerſus ad corpus, dixit: Tabitha, ſurge. † At illa aperuit oculos, & viſo Petro reſedit. Dans aũt illi manũ, erexit eam. Et cùm vocaſſet ſanctos & viduas, aſſignauit eam viuam. Notum aũt factum eſt per vniuerſam Ioppen, & crediderunt multi in Domino. Factum eſt autem vt dies multos moraretur in Ioppe apud Simonem quendam coriarium.

† 1.q.1. Tẽtamus.

Ne mulierum fletus, & lachrymarum tumultus Petrum in oratione turbaret, omnes foras eijcit, poſitis in terram genibus, Chriſtum orauit, dataq; Tabithæ dextera, illi vitam donando erexit, & rediuiuam cæteris aſsignauit. Ex quo quidem ſigno multi infideles crediderunt, alioqui non crediturι, iuxta illud Chriſti dictum, Ioan. 4. Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Fideles verò abſq; ſignis etiam facillimè credunt. Hic Petrus apud coriarium elegit hoſpitiũ, non apud inſignιorum quempiam, quod adhuc peregrinis oſtenditur, ex plurima ruina reſiduum. Non longe ab hoc portu excelſum ſaxum monſtratur, ſuper quod Petrus lauans retia à Chriſto in Apoſtolatum vocatur, Matth. 4.

CAPVT DECIMVM

Cornelius pijs intentus operibus & orationibus, per reuelationem diuinam Petrum vocauit, qui linteum cœlitus demiſſum cõtemplatus, profectus eſt ad Cornelium, quem poſt longum ſuper fide catholica ſermonem cum tota familia ſua baptizauit, donisq; ſpiritus ſancti inſigniuit, ita vt cuncti mirarentur fideles, quòd etiam in Gentiles ſpiritus ſancti gratia effunderetur.

Vir

VIr autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi. Et deprecans Deum semper, is vidit in visu manifestè quasi hora diei nona angelum Dei introeuntem ad se, & dicentē sibi: Cornel. At ille intuēs eum, timore correptus dixit: Quis es Domine? Dixit autem illi: †Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriā in conspectu Dei. †Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare, hic dicet tibi quid te oporteat facere.

†rob.12.c Infr.12.a. 26.di.ca. Deinde infi.2.q.7. Non oēs. De cōse. dist.4. Non dubito. †Infr.11.a

Ortum erat murmur inter Iudæos fideles, & Gentiles conuersos, an incircuncisi baptizandi essent. Quod vt tolleret Dominus, Petrum misit ad incircūcisum, & verè pium, ac religiosum: qui vt ait Gregorius, per fidem Dei vniuersorum, & per inuisibilia mundi venerat ad opera, orationes inquam & eleemosynas, per quas venit ad fidem vnigeniti filij Dei, & in illa confirmatus est. Et sic Deus tale illorum murmur abstulit, cùm Cornelium Gentilē, militem, incircūcisum, cum tota domo sua saluauit, & cum oībus qui secum erant, Petrus à Deo missus baptizauit, & spiritu sancto manus impositione repleuit. Magna inquit Chryso. huius viri laus est, quòd faciat orationes & eleemosynas, & pius est in tanto principatu: hic enim militū curam gerebat, & faciebat eleemosynam omni populo. Et hæc faciens, vidit angelum monentem quid eum facere oporteat, vt scilicet Petrum vocet ab Ioppe, qui sua opera ad viam salutis dirigat, atque perpetuum meritum acquirat: vtpote cuius opera & Deum tenderent, & in proximum. Quales nunquam Dominus deserit, quin vel hominum subsidio, vel angelorum ministerio iuuet. Qui cùm insolitam audisset iussionem, respondit: Quis es Domine? Interpres legit, τὶς εἶ κύριε, id est, quis es, quis es Domine? Græca tamen nunc habent, τί ἐστι κύριε, id est, quid est Domine? Orationes tuæ, &c. Huiusmodi Cornelij opera in speciem

ac moraliter bona, mortua tamen adhuc erant, vt inquit Oecume. cùm adhuc fidem non haberent: neque tamen desinebant grata esse Deo, in cuius memoriam, coram quo ascenderant, videntur grata fuisse, & corā Deo accepta. Quamobrem prouidit tibi de doctore, & Apostolo suo, quem voces ab Ioppe.

Et cùm discessisset angelus qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant. Quibus cùm narrasset omnia, misit illos in Ioppen. Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam. Et cùm esuriret, voluit gustare.

Angelus non iussit Cornelium adire Petrum, vt etiam Petri aduentus omnes Cornelij domestici participes essent: sed nec etiam Cornelius eum vocat, quin potius visionem suam nuncijs suis narrat, quam Petro narrent. Interea dum pergerent à Cæsarea Palæstinæ in Ioppen, quæ inter se distant 36. miliar. ascēdit Petrus in superiora domus, oraturus. Græcè est tantùm ἐπὶ τὸ δῶμα, id est, ascendit in domum, quæ adhuc monstratur peregrinis. Hora verò sexta ante cibum orabat: verùm inter orandū esurire cœpit, quia hora prandij proximè adesset.

Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & descēdens vas quoddam velut linteum magnū quatuor initijs summitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine: quia nunquam manducaui omne commune & immundum. Et vox iterum secundò ad eum: Quod Deus purificauit, tu cōmune ne dixeris. Hoc factum est per ter. Et statim receptum est vas in cœlum.

Petrus aūt credens non dandū esse gentibus euangelium, ascēdit hora prādij in cœnaculum, vt prius oraret. Quo orante factus est illi mētis excessus, quē Græci vocant ἔκστασιν, id est, vt ait Augustus. mens eius alienata est & auersa à cōsuetudine corporali ad visum quendā contēplandum, alienata à præsentibus. In qua extasi vidit vas quoddam

quoddam quasi linteũ quatuor initijs demitti de cœlo. Græca paulo secus habent, scilicet τέσσαρσιν ἀρχαῖς δεδεμένον, καὶ καθιέμενον, id est, quatuor initijs vinctũ, & demissum è cœlo. Quid aũt significet initijs, & Græcum ἀρχαῖς, puto intelligere quatuor angulos lintei, etsi neq; Græcum ἀρχαί, neq; Latinũ initia sic vsurpari inuenio. Augustin. dicit ipsum linteum quatuor lineis submitti è cœlo, vbi erat omne genus animalium. Et insonuit illi vox: Petre, macta, & manduca. Qui cùm in Iudaica lege, & ceremonijs eius eruditus esset, cuius præcepta hactenus seruauerat, respondit: Absit à me Domine, nunquã aliquid commune intrauit in os meum. Quicquid olim commune erat reliquis gentibus, quo abstinere iubebantur Iudæi, id immundum & inquinatum censebant, tanquam solis gentibus commune. Hinc factum est, vt Hebræis τὸ κοινὸν Græcè, & commune Latinè, pro immundo & inquinato vsurparetur. κοινόω verbum, quod communico significat, tantùm in sacris literis inquino æstimatur: quo verbo paulo pòst vsus est Lucas οὐ μὴ κοινῶ, quod interpres vertit, tu ne commune dixeris, vel, tu ne opinione tua commune dixeris, & immundum iudicaueris. Hoc autẽ vas quasi discus, inquit Augustin. quatuor lineis subnixum, ter demissum est: quoniam per quatuor orbis cardines, orientem, occidentem, austrum, & aquilonem quatuor Euangelia indifferenter in nomine trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti disseminanda erant. Ideo non frustrà duodenarium Apostolorum numerum aggregauit Christus, qui ex quaternario numero per ternarium multiplicato consurgit. Ideo ✠ in omnem terram exiuit sonus eorum, quoniam per ipsos Apostolos & sequaces mediantibus quatuor Euãgelijs, in fide trinitatis patet ad cœlum aditus. Vnde dicit: Et statim receptum est vas in cœlum. *Psal.18.a

Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio quã vidisset, ecce viri qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam. Et cùm vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. Petro autẽ cogitante de visione, dixit spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Surge itaq; & descẽde,

& vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos.

Cùm Petrus super tãta visione dubius esset, quidnam significaret, magis dubitabat, tunc missi à Cornelio aduenerunt: & cùm infideles & gentes essent, primò dubitabat si se sociaret illis, donec cogitauit angeli dictũ: Quod Deus purificauit, id commune ne dixeris. Hos itaque in nomine Domini recepit secum vsque in crastinum: cum eis ideo proficiscitur in Cæsariam ad Cornelium. Vnde sequitur.

Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum quẽ quæritis: quæ causa est propter quam venistis? Qui dixerũt: Cornelius Centurio, vir iustus, & timens Deum, & testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum, †responsum accepit ab angelo sancto accersiri te in domum suam, & audire verba abs te. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum.

†Luc. 2. d

Petrus pro salute proximi, imò & omnium gentium, descendit à contemplatione & oratione, à qua interdũ maioris operis gratia cessandum est: & hoc spiritus sancti instinctu factum est. Nuncios itaque intrò vocatos hospitio recipit, causamq; profectionis scisciatur, hoc est, inquit Chrysosto. initium vocationis gẽtium ab homine iusto, & timente Deum, à nuncijs etiam Deum timentibus, à primo Apostolorum, mediante cœlesti signo, spiritus sancti instinctu. Audita autem profectionis causa, & certior factus, sequenti die Petrus non solus, sed multa caterua cinctus proficiscitur Cæsareã, vt multos tandem facti testes haberet.

Altera aũt die introiuit Cæsaream. Cornelius verò expectabat illos, conuocatis cognatis suis & necessarijs amicis. Et factum est cùm introisset Petrus, obuius ei venit Cornelius: & procidẽs ad pedes eius, adorauit eũ. Petrus verò eleuauit eum, dicẽs: Surge, & ego ipse homo sum. Et loquẽs cũ illo intrauit, & inuenit multos qui conuenerant, dixitq; ad illos.

Petrus per vnam noctem tractauerat nuncios, sequenti die iter aggrediũtur: vna verò nocte in via manẽt, altera aũt die Cæsaream ingrediuntur: illos Cẽturio attẽtus

vocatis

vocatis secum amicis expectabat, quos tantæ doctrinæ salutis participes esse cupiebat. Obuius itaque Cornelius Petro in terram ex humilitate procidens, adorauit eum, se fœlicem eius aduentu existimans, quòd tandiu expectatum nactus esset optatum. Quem tamen Petrus erigens, hunc adorationis honorem ad Deum tantùm pertinere docuit. Ingressus domum Petrus, inuenit multos ibi ad salutis verbum congregatos, & cœpit disserere verbum Dei.

Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus neminem cõmunem aut immundum dicere hominẽ, propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo quam ob causam accersistis me?

Græcè est, ὡς ἀθέμιτον ἐστὶν, quòd nefas & illicitum est. Quasi simile habetur. Ioannis 4. ✠ Iudæi non coutuntur Samaritanis: iniustam enim Iudæi ducebant communicationem cum alienigenis. Attamen inquit Petrus, neminem immundum esse Deus mihi visione ostendit, cùm mihi diceret: Vade cum illis, nihil dubitans, quia ego misi eos. At licet Petrus causam vocationis non omnino ignoraret ex narratione militum, voluit tamen à Cornelio causam particularius audire, vt dicendi exordium coram multitudine attentius redderet audiendum. ✠ Ioan. 4. a.

Et Cornelius ait: A nudiusquarta die vsque ad hanc horam orans eram in domo mea. Et ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait: Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. Mitte ergo in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. Confestim ergo misi ad te: & tu bene feci sti veniendo. Nũc ergo omnes nos in cõspectu tuo adsumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.

Græca paulo secus habent, ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἦμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐνάτην ὥραν: id est, à quarta die vsque ad hanc horam sedebam ieiunans, & nona hora orans. Ex quibus verbis apparet Cornelium totum ieiunasse quatriduum. Quod autem dicit

interpres, à nudiusquarta die, malim vertere ab hinc quarto die, sentiens Cornelium ieiunasse die quodam, qui quartus esset ab eo quo cum Petro colloquebatur, vt habet Rab. in glosa ordi. Prima inquit, die vidit angelum, & misit nuncios, secũda nuncij peruenerunt Ioppen, tertia profectus est cum eis Petrus, quarta venerunt Cæsaream. Sensus ergo est: Nunc, quarta dies est, cùm hac ipsa hora eram ieiunans & orans. Vnde ait Chrisost. Mihi videtur Cornelius tempora vitæ religiosæ sibi constituisse, & in aliquot diebus. Vnde consyderanda est vis orationis, post quam illi angelus apparet. Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam in Christum crederet, inquit August. de Prædesti. lib. 1. cap. 7. Quod inquit, de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ędificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus. Quamuis nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt ædificantes eã. Et sequitur: Quicquid igitur, & antequam in Christum crederet, & cùm crederet & cùm credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur. Cornelius igitur accersito Petro, quæ saluti suæ & societatis congrua, sunt præcatur.

†Deut. 10. d. 2. Par. 19. c. Iob. 34. b. Sap. 6. b. Eccles. 35. b. Rom. 2. b Ephe. 6 b Col. 3. d. 1. Pet. 1. c. Iacob. 2. b Gal. 2. b. †De sacr. Vnctio. cap. 1. §Vnde in veteri.

Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia † non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filijs Israël, annuncians pacem per Iesum Christum (hic est omnium Dominus.) Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam. Incipiens enim à Galilæa, post baptismũ quod prædicauit Ioannes † Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus spiritu sancto & virtute: qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

Petrus à ceremonijs legis paulatim discedit, animaduertens iam adesse tempus, in quo Deus inter circunciśum & præputiatum non distinguit. Non est enim inqui-

inquit, personarum acceptio apud Deum: qui vt inquit Apostolus ✠ vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Est enim personarum acceptio iustitiæ distributiuæ opposita, quæ peccat in his in quibus iustitia distributiua rectè distribuit, vtpote cùm in eo cui aliquid distribuitur, non attenditur causa in persona propter quam aliquid illi datur, sed persona nuda, vel propter amicitiam, consanguinitatem, vel dexteritatem, non virtutem, vel doctrinam, aut aliquid excellentiæ, ob quam illud sit illi debitum. Duplex enim datio est, inquit Dyonisius Carthusia. Prior est actus iustitiæ distributiuæ, circa quem contigit personarum acceptione peccare, indiscretè quibus non debetur distribuēdo. Altera est actus liberalitatis, qua quis dat cui non debetur, quando nemini est obligatus, & sua cui, & quantum vult, pro libito donat. In quo non peccat personarum acceptione. Quod autem dicit: Verbum misit: Græca sectus habent, τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε, id est, verbum quod misit auferendo τὸν. Sensus interpretis est clarus, legēdo ὃν: ita verti posset: quod verbum misit filijs Israël, euangelizans pacem per Iesum Christum. (Hic est omnium Dominus:) vos nouistis: verbum inquam, quod factum est per vniuersam Iudæam, quod incœpit à Galilea post baptisma quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth, vt scilicet verbum factum & diuulgatum per vniuersam Iudæam post baptisma Ioannis nihil aliud sit, quàm Iesus è Nazareth, quomodo vnxit eum Deus. Vnctum esse eum à spiritu sancto dixit, quod secundum humanitatem intelligi oportet, ✠ in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Quæ autem per omnem Iudæam miracula fecerit, scitis: hunc autem non scitis, sed hunc vobis annunciamus, tanquam omnium horum oculati & auriti testes. Vnde dicit.

✠ 1. Tim. 2. b.

✠ Col. 2. a

† *Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.* † Sup. 1. a.

† *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestū fieri, nō omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui māducauimus & bibimus cū illo, postquā resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicari populo, et testificari,* † Sup. 2. b.

quia

†Ier.31.f. Mic.7.d. *quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. † Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.*

Quantumuis Christus Iudęis benefecerit, suos ęgros sanando, oppressos à diabolo liberando, tamẽ in fine pro retributione suspenderũt in ligno. Quem Deus à morte suscitauit, & nos horum omnium testes Deus præordinauit, qui in veræ resurrectionis signum cum eo comedimus & bibimus, & ipse nobiscum: præcipiens nobis hęc omnia & singula omni populo testificari, & quòd cõstitutis est iudex viuorum & mortuorum, & in eius nomine omnes sint salutem accepturi, quandoquidem nec aliud nomen datum est hominibus sub cœlo, in quo oporteat eos saluos fieri: & quem omnes prophetæ prędicauerunt daturum peccatorum remissionem.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizarentur hi qui spiritum sanctum acceperũt, sicut & nos?

† De consec. dist. 4. ca. Eos de baptis. cap. 1. †*Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tũc rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus.*

Prorogante autem Petro sermonem, fidem inuabat affectus: vbi verò cœperunt audire baptismate peccatorũ fieri remissionem, Christi passione mediante, perfectè crediderunt, & tũc super eos descendit spiritus sanctus, non modò via communi, sed etiam vt linguis loquerentur nouis, vt mirarentur fideles ex Iudaismo conuersi, quasi Deus non gentium, sed tantùm Iudæorum esset. Vnde Petrus etiam illos iussit baptizari, licet spiritum sanctum in eos delapsum cerneret, necessariam tamen existimauit aquam ad baptisma consummandum, & animam corporis ablutione lauãdam, vt veterem hominem Dominus sepeliret cum concupiscentijs suis, & nouum excitaret hominem.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

Disceptantibus cum Petro conuersis Iudęis, quòd diuerteret ad gentes, suã & Cornelij narrauit ipse visionem, & sequentem ex illis effectum: quibus consolti conuersi intrepidè prædicauerunt, & multos Christo acquisierunt. Quod audiens Ierosolymitana Ecclesia, Barnabam misit Antiochiam, & Tarsum, qui propter Agabi prophetiam super futura fame vniuersa collegerunt, eleemosynam Ierusalem deferendam.

AVdierunt autem Apostoli & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt verbũ Dei. Cùm autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant †2.q.7.c. Testes. & sequen.
ex circumsione, dicentes: † Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem, dicens.

Offendebantur non parum fratres qui erant, quare Petrus intrasset ad gentes, & manducasset cũ illis, quòd nefas esset in lege, & graue in quinamentum. Vnde interpres legit τί, id est, quare vel ad quid: quanquã Græca quę nunc extant, legunt ὅτι, & tunc refertur ad λέγοντες, dicentes, scilicet Petro, quoniam ad viros incircuncisos introisti. Quibus respondet Petrus, se in causam huius ingressus non fuisse, sed Deum, qui eum in mentis ἔκστασιν posuit, & vas à cœlo coram me dimisit omni genere animalium plenum, &c. vt cap. præcedenti.

† Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis meæ visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs submitti de cœlo, & venit vsque ad me. In quod intuens considerbam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cœli. Audiui autem & vocem dicentem mihi: † Surge Petre, occide, & manduca. Dixi autem: Nequaquam Domine: quia commune & immundum nunquam introit in os meum. Respondit autem vox secundò de cœlo: Quæ Deus mundauit, tu ne

† Sup. 10. a.

† 33.q.2. ca. Interfectores.

tu ne commune dixeris. Hoc autem factum est per ter: & recepta sunt omnia rursum in cœlū. Et ecce viri tres confestim astiterūt in domo in qua erā, missi à Cæsarea ad me.

Respondit igitur Petrus, ostendens ex Deo talem causam venisse, cui parere non dubitaui. Ipse inquit, in extasim me rapuit, vas ipse monstrauit, me etiam resistentem coëgit: obtemperaui tandem, iussus ire cum nuncijs, quos Deum misisse intellexi.

Dixit autem spiritus mihi, vt irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri. Narrauit autem nobis quomodo vidisset angelum in domo sua stantem, & dicentem sibi: Mitte in Ioppē, & accersi Simonem qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba in quibus saluus eris tu & vniuersa domus tua. Cùm autem cœpissem loqui, cecidit spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Recordatus autem sum verbi Domini, sicut dicebat: † Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autē baptizabimini spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum?

†Ioā.1.b. Sup.1.a. Mat.3.c. Mar.1.b. Luc.3.e. Inf.19.a.

Cùm Petrum super duobus præcipuis contra legem increparent, & quòd introisset ad præputiatos, & quòd manducasset cum illis, purgat se duodecim excusationibus legitimis Petrus, quas ordine narrat glosa interlinearis. Vnde iussus inquit, non statim cucurri, missus non statim baptizaui, spiritu me impellente prædicaui: quo adhuc loquente, descendit spiritus sanctus. Inde certè patet Deum totum fecisse, misisse, baptizasse, conuertisse, secundum quod aliquādo prædixerat Ioannes. Quare si eandem quam nobis Deus gentibus gratiam præstitit, nec eam prohibere potuissem, quonam pacto eam prohibere poteritis?

His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Et illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicem,

&

& Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.

His rationibus apertis & veris conuicti fratres, Deũ glorificare cœperunt, qui se non Iudæorum modò, sed & Gentium esse Deum ostendebat, qui etiam Gentes ad pœnitentiam in salutem vocat, sicut & Iudæos. Aliud etiam bonum ostendit ex persecutione ob Stephanum orta, quoniam ab Ierusalem profugi in prouincias discipuli perrexerunt, prædicando & docendo salutis monita vsque Phœnicem, Cyprum, & Antiochiam, vt malum Iudæorum odium conuerterent in bonum fidei exemplum. Solis tamen Iudæis prædicabant, iuxta CHRISTI doctrinam, dicentis: non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël: donec audierint Eunuchi conuersionem à Philippo, & Cornelij à Petro. Phœnix, seu Phœnicia, maritima ferè tota regio est, vel à Phœnice Agenoris filio, & Cadmi fratre, qui Phœnicibus imperauit, vel à Phœnice fructu palmi his locis abundante, vel à Phœnice minore vrsa vel arcto, quam nauigio Phœnices maximè obseruant. Hæc autem regio Galilææ contigua est, quoadusque Libano appropinquat, tamque ad Syriam spectat, vt bona pars incolarum Syrophœnices dicantur. Ingentes habent ciuitates, Ptolemaidem, Tyrum & Sidonem, Sareptam & Decapolim. Cyprus autem insula, aliquando nouem regnorum sedes, media inter Ciliciæ Syriæque littora iacet, Cerastis aliquando dicta, quòd multis promontorijs seu cornibus infestis assurgat: ab ortu Syrio, ab occasu Pamphilio, à meridie Phœnicio, à Borea Cilicio mari clausa. Veneti autem illam iure hereditario suã fecerunt anno Domini 1470. hodie per prætorem Cyprium regnum, vti & Cretense, & Corcyræum administrãt. Antiochia verò duplex est: Vna Syriæ, quam Orõtes insignis fluuius mediam secat, Pauli & Barnabę memoria insignis, in qua discipuli primò agnominati sunt Christiani. Est & alia Antiochia Pisidię, Barnabę & Pauli celebris prædicatione & mora. Hic Paulus cum Barnaba synagogam ingressus præclarum illum sermonem habuit, cuius Lucas Acto. 13. meminit, damnataque Iudæorum obstinatio est: primumque omnium in ea vrbe

Phœnix.

Cyprus.

Antioch.

excusso

excusso pedum puluere ad prædicandã Gentibus fidem se se accinxit.

Erant autem quidam ex eis viri Cyprij & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum. Et erat manus Domini cum eis, multusq; numerus credentium conuersus est ad Dominum: Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis super istis, & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam. Qui cùm peruenisset, & vidisset gratiã Dei, gauisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino, quia erat vir bonus, & plenus spiritu sancto & fide. Et apposita est multa turba Domino.

Hos autem Cyrenæos & Cyprios quidam Iudæos genere fatentur, natiuitate tamen Cyrenenses, vel Cyprios: alij autem purè Gentiles, & nuper ad Iudaismum conuersos, verùm tamen denuò ad Christum. Gæcos autem vocat Ἑλληνιστὰς, non Ἕλληνας, vt intelligas non Gẽtiles, sed ordine & religione Iudæos, verum in Græcia natos. Propterea illis facilè persuadebãt, quia manus Domini, id est, virtus ad facienda signa, quæ & ipsi palàm faciebant: quoniam signa necessaria esse non dubiũ est, vt gentiles ad veritatem cœlestium rerum facilius conuerterentur, & crederẽt. Tantus quotidie adhærebat illis credentium numerus, vt ad Ierosolymam vsque rumor perueniret, vt ad eos Barnabam, quia vir bonus esset, mitterent, qui tantam videns gratiam, consolatus est, hortabaturque eos in eodem permanere proposito.

Profectus est autem Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cùm inuenisset, perduxit Antiochiam: & annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli Christiani.

Hæc est ratio cur Barnabam virum bonum dixerit, cuius nota erant iamdudum Apostolis bonitas. Neque huic repugnat quod dicitur: Nemo bonus, nisi solus Deus: quia Deus est natura bonus, & principium & origo bonitatis: nemo autem natura bonus, sed sola virtute habet, vt bonus dicatur, qua dicitur vir bonus, & simpli-

simpliciter vel natura bonus. In hoc igitur Barnabæ attenditur bonitas, qui non præsumit solus docere plebẽ, & illi præfici, licet ad id muneris ab Ierosolymis Antiochiam missus est: qui ne solus sufficeret, petijt Tarsum, vt eius muneris consortem haberet. Inuentũ igitur Paulum Antiochiam reuocauit: & annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia: Græcè, ἐγένετο δὲ αὐτοὺς ἐνιαυτὸν ὅλον συναχθῆναι, id est, contigit vt congregarentur annum totum in Ecclesia, & multum populum docerent, primumq; in Antiochia discipulos cognominarent Christianos. Δίδαξαι enim & χρηματίσαι actiuæ sunt significationis. Inde aduertit Oecume. quòd ob id potissimùm digna habita est Antiochia sede pontificia, quoniam ibi primùm statuerunt vt discipuli nominarentur Christiani, cùm nihil tale factum sit in Iudæa: vnde ortum habuit Ecclesia, licet tam multi in ea credidissent. Hoc autem studio prædicationis Pauli per annum totum prorogato ascribendum putamus, vt in tantam hoc nomen celsitudinem eueheretur, tanquam signum quoddam futuræ profectionis.

† *In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis prophetæ Antiochiam: & surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem prout quis habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli.* †Inf.21.b

Nec obest quòd dicitur Matth.11. & Luc.16. quia lex & prophetæ vsque Ioannem: quandoquidem qui prophetæ Christi aduentum nunciauerunt futurum, ad Ioannem vsq; terminati sunt. Non refert tamen post Christi aduentum fuisse prophetas, vt infrà de 4. filiabus Philippi. Hinc est quòd prophetarũ, qui à Ierosolymis Antiochiam ascenderent, quidam Agabus nomine famem futuram per totum orbem prædixit, quæ etiam 4. Claudij Cæsaris anno contigit, de qua Iosephus lib.20. ca.2. ait: ✠ Helena Adiabenorum regina desyderio capta est ✠Ioseph. lib.20. ca. 2. Antiq. visendi Ierosolymam, templumque illud apud omnes mortales famosissimũ, vt ibi Deum adoraret, votiuasq;

victimas redderet. & sequitur: Accidit autem peropportunè eius aduentus ciuibus: cùm enim per id tempus ciuitas graui fame premeretur, & multi perirent alimẽtorum inopia, regina Helena ex suis alios misit Alexandriam, comparaturos vim magnam tritici: alios in Cyprum, qui copiam ficuum passarum inde adueherent, quibus omnibus breui reuersis, cibos egenis distribuit, atque hoc beneficio memoriã immortalem sibi apud nostram gentem peperit. Idẽ penè habet capite quinto sequenti. Verùm quia Dei est futura prædicere, famẽ igitur futurã prædixerat per prophetam. At ne crederetur propter Christianismum accidisse magis, quàm propter illius oppugnationẽ, prædixit in Iudæa magis seuituram, quã in alijs prouincijs. Miserti igitur fratres qui erãt Antiochię fratrũ qui erant in Iudæa, miserũt ad eos per manus Barnabæ & Sauli quas fecerãt collectas Antiochię, quemadmodũ & scribit ad Corinthios 1. Cor. vltimo.

CAPVT DVODECIMVM.

Herodes occiso Iacobo Petrum inclusit, quo per angelum ad preces Ecclesiæ liberato, profectus Cæsaream, vbi diuinos assumens honores, miserrimè perijt.

EOdem autem tempore misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.

Herode Antipa cum Herodiade sua Lugdunum in exilium misso à Claudio Imperatore, in eius locum Herodes Agrippa suffectus, primo sui regni anno, vt Iudæorum gratiam consequeretur, Iacobum Ioannis fratrẽ gladio occidi iussit, secũdo Claudij Imperatoris anno. De quorũ differẽtia edita sunt hæc duo metra.

Aschalonita necat pueros, Antipa Ioannem,
Agrippa Iacobum, claudens in carcere Petrum.

Vnde dicitur, Herodes rex manus misit, Græcè, ἐπέβαλεν χεῖρας, id est, iecit manus. Herodes iste itaque non est ille Antipas, qui baptistã decollauit propter Herodiadem, à quo Christus in sua passione illusus est, sed tertius Herodes Agrippa, filius Aristoboli, & Berenices

nices Herodis filiæ. Hic etiam fratrem quartum Herodem habuit,& filium nomine Agrippam.

Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens q; quatuor quaternionibus militum ad custodiendum eum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidam seruabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cùm autem productur us eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens, inter duos milites vinctus catenis duabus, † & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoq; latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. †Sup. 5.d. Inf. 16. e.

Videns Herodes se ob Iacobi cædem Iudæorum gratiam consecutũ fuisse, existimauit si caput & ducẽ Christianorum etiam occideret, maiorem gratiam consequeretur. Verum quia dies erant azymorum, quando occidere non licuit, Petrum in carcere iussit vsque post festa recludi: & vt tutius seruaretur, apposuit custodiæ sedecim milites, fortè vt singulis vigilijs noctis, id est, ternis quibusq; horis quatuor essent vigilantes custodes. Sub quorum custodia Petrus absque timore & solicitudine omnia in Deum reiecerat, dormiebatq; securus, cùm lumen in toto carcere refulsit. Accedens autem simul angelus, Petrum excitauit, quo excitato, ceciderũt catenæ quibus vinctus erat, & hoc angeli virtute, sicut & seræ portarum vltrò reseratæ sunt, cui omnia corpora volente Deo ad nutum obediunt, saltem quo ad motum localem, vt August. 3. de Trinita. cap. vlt. Angeli quędam corporalia adhibent ad aliquos effectus producendos.

Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eũ, & nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Et exeun-

tes processerunt vicum vnum, & continuò discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Petrus ad vocem angeli vidit cecidisse de manibus suis catenas, ideo ad eius mandatum præcinxit se, & calceauit se caligas suas. Græcè dicit sandalia, quæ dicit Lyranus esse soleas, id est, calceorum genus non habens corium super pedem. Pro circunda, Græcè est περιβάλου, quod magis quadrabat vertere indue, quàm circunda, licet vtrunque περιβάλλομαι significet. Ex quibus duas vestes Petrum habuisse infert Oecume. sicut aliquando Paulus 2. Timoth. 4. Neque sciebat Petrus quod fiebat per angelum, imò imaginariam credebat visionem. Putabat enim se somniare liberationem sui, neque vim veram esse credebat, propter difficultatem euadendi præ multitudine custodiæ, & carceris fortitudine. Transeuntes primam & secundam custodiam, de vigilijs militaribus loquitur, quæ ad mœnia excubias agere solebant, tunc autem ad carceris custodiam destinatas: quibus nō obstantibus Petrus liberè exiuit. Et tandem ad ferream portam peruenit, quam putat Glo. fuisse in atrio carceris, sed extra muros vrbis. Et statim reddito viæ Petro angelus discessit ab eo, & tunc sibi conscius factus, agnouit esse verum quod putabat fantasma fuisse. Inde venit in mentem quod prius in fantasia fuit, agnouitque se liberatum de manibus Herodis, & Iudæos sua spe frustratos.

Consideranśq; venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati & orantes. Pulsante autem eo ad ostium ianuæ, processit puella ad videndum, nomine Rhode. Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum ad ianuam. At illi dixerunt ad eam:
Inf. 26. f. † *Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est. Petrus autem perseuerabat pulsans.*

Animaduertens itaq; Petrus se ereptum à carcere, & loco

loco tuto restitutum, venit ad locum vbi sciebat Ecclesiam fidelium congregatam, & pro illo precantem: nec prius voluit ab Ierosolymis discedere, quàm rem gestã suis socijs plenè narrasset. Pulsantẽ illum ad ianuã prius mulier discipulis annunciauit: sicut mulier Christum. Cui non credentes, sicut nec alteri, insanire eam dixerunt, nisi forsitan eius angelus esset. Quidam interpretantur angelum eius, quem vulgò vocãt spiritum, vt cuiusquam mortui diuina permissione spiritus atque anima apparent. Alij interpretantur angelum Petro datum ab ortu in custodiam. Angelos enim hominũ custodiæ deputatos sacræ scripturæ doctores passim asserunt: imprimis Basilius contra Eunomium libr. 1. Quòd verò singulis fidelium adsit angelus vt pædagogus quidã & pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, qui verborum Domini recordatur, dicentis: Ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quoniam angeli eorum semper vidẽt faciem patris mei qui in cœlis est. Idem de vera virginitate: Virgo conscientiam suam reuerebitur, etiam si valde sit sola, deinde sibi astantem angelum custodem. Angeli enim eorum semper vident faciem patris eius qui in cœlis est. Neque verò conuenit vt angeli eius, cui credita est cura & custodia salutis nostræ, faciem aspernetur homo, atque imprimis virgo, quę hunc ipsum veluti castitatis suæ paranymphum custodemque habet. Et Chrysostomus in 4. caput Matthæi, homilia quinta: Duo enim sunt angeli permanentes cũ hominibus, bonus scilicet, & malus. Idem de laudibus Pauli: Si enim propriam vitam regentibus tantummodo, nihilque pro communi vtilitate facientibus, angeli ab omnium Domino deputati sunt, sicut ait vnus ex iustis: Angelus qui eruit me à iuuentute mea: multo magis his, quibus totius orbis cura commissa est, taliumq; donorum onera portãtibus virtutes adsunt supernæ. Et Hierony. in Matth. cap. 19. Magna dignitas animarum, vt vnaquæq; habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum delegatum.

Cùm autem aperuissent ostium, viderunt eum, & obstupuerunt. Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit quo-

modo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nunciate Iacobo & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.

Aperto ostio viderunt Petrum, nec tacere potuerunt: quibus silentium indicens, ne sua præsentia inimicis manifesta fieret, narrauit rem gestam vt erat, iussitque narrare hæc Iacobo Ierosolymorum episcopo, quod exauditus esset pro eo cum Ecclesia orans. Petrus autem ne tentare videretur Deum, aufugit statim, iuxta Christi dictum: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, Matth. 10.

Facta autem die, erat nō parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cùm requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci: descendensq; à Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyrijs & Sidonijs. At illi vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quòd alerentur regiones eorum ab illo.

Petrus apertis ostijs exiens, post se reclusit, vel sicut vltrò aperta sunt ei, ita vltrò recluſa, quibus apertis ambiguum non esset eum euasisse. Vnde illusi milites, pariter & illusus est Herodes, qui ea die intendebat occidere Petrum. Deus autem cùm Petro potuisset milites eripere de manu Herodis, quod tamen non fecit, ne appareret fuisse fuga ex Petri pacto cū custodibus. Verùm coram Herode causa sufficienter agitata, iussit custodes duci. Pro quo Græcè est ἀπαχθῆναι, quod magis vertendū erat, abduci, siue trudi in carcerem, vel ad supplicium. Nā ἀπάγω, abduco ad pœnam, siue in carcerē eijcio, siue etiam ad mortem, non autem simpliciter duco: quod ab Erasmo non animaduersum est, qui etiam ducit, simpliciter vertit. Herodes autem alio vocatus, vt ait Raba. descendit in Cæsaream Palæstinæ, vt Petri solutio nulli noceret: non permittitur Herodes vindicare in custodes, qui non essent in culpa solutionis Petri. Differens autem Herodes Domino prouidente eorum iudicium, ne Petri liberatio alijs esset occasio mortis, descendit à

Ioseph. Antiq. li. 19. cap. 8.

dit à Iudæa Cæsaream, iam tertium totius Iudææ regni agens annum: vbi solennes ludos celebrauit pro salute Cæsaris. Ad quam festiuitatem magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat ex tota prouincia. Eius celebritatis die secunda processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radijs oxorientis solis perculsa, & diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus. Vnde sequitur.

Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit.

Statutum diem declarat Iosephus, secunda scilicet die celebritatis, qua sedens pro tribunali concionabatur ad populum: moxque adulatores pernicioſi alius aliunde acclamantes, Deum consalutabant rogantes vt faueret propicius. Hactenus enim vt hominem reueritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortale natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigauit, nec repulit, pauloque pòst suspiciens, vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem: moxque vt sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim fœlicitatis fuerat, ex intimis præcordijs indoluit. Secuta sunt ventris tormina statim à principio vehementia. Conuersus igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille vestra appellatione Deus vitam relinquere iubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Et sequitur: Hæc locutus crescente dolore discruciabatur. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente, confectus vitam finijt, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset septennium. Hæc ille. Vnde consydera quàm sceleratum sit non solùm quærere, sed tantùm admittere assentationes impias: quas cùm non reiecisset diuina vltione Herodes, intestinorum dolore correptus interijt.

Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.

Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis, expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est. Marcus.

Mortuo itaque Herode fidelium persecutore, quibus erat impedimento quominus fides spargeretur, euangelica creuit prædicatio: & Saulus atque Barnabas assumpto Marco Euangelista reuersi sunt Antiochiam, postquam expleuerũt ministerium suum ex collectis Antiochiæ eleemosynis, quas ad succurrendum egenis propter imminentem famem Ierosolymam attulerant: de quibus superiore capite dictum est.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Saulus & Barnabas vocante spiritu sancto mittuntur ad Gentes, & prius in Cyprum, vbi mago quodam excæcato prædicatione Sauli, Sergius Paulus credidit. Inde Antiochiæ Pisidiæ Iudæis blasphemantibus, & seditionem excitantibus, plurimos ad Christum conuerterunt Gentilium, Iudæis valedicentes, & ad Gentes properantes.

ERant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus: † *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos.*

† 75. dist. ca. Quod die.

Paulatim diuertens Christus ad Gentes, Ecclesiam suam construxit omnibus ad fidem necessarijs, iuxta quòd Apostolus Ephes. 4. ait: ✠ Et ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autem prophetas, aliàs verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Hos autem omnes habuit Antiochiæ prima gentium Ecclesia: qui quidem fermẽ idem sunt. Prophetæ enim non solùm qui futura & præui-

✠ Ephes. 4. b.

præuident & præloquuntur, sed & qui præterita, & præsentia prędicant: & tot modis dicitur prædicatio, & prędicator, & doctor, qui quidē in præsenti arguit & corrigit, præterita Christi & sanctorū acta in memoriā reuocat, atq; super futuris pœnis terret & minatur, præmijsque futuris & gaudijs consolatur & pollicetur. Horū autem omnium par ferè finis est & ratio. Ex his autem omnibus Barnabam & Saulum spiritus sanctus seligit. Barnabas enim Cyprius genere, qui & Ioseph Leuites cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, à spiritu sancto electus, & à cæteris condiscipulis est dimissus. Quod autem dicit: ministrantibus illis Domino: Græcè est λειτουργούντων, id est, sacrificantibus, vt intelligas sanè illos missæ sacrificium celebrasse, quod feciſſe Apostolos D. Dionysius dicit. Quod autem spiritus sanctus ait: Segregate mihi: non dicit Domino, vel Deo, vt eandem designet trium personarum virtutem ac potestatem. Quod autem Barnabam & Saulum à cæteris seligentes, ieiunia, preces, manuum impositionem & dimissionem electioni addiderunt, docuerunt posteros, quid sit in pastorum electione faciendum, si talia in primis exordijs Ecclesiæ facta sunt.

Et ipsi quidem missi à spiritu sancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum. Et cùm veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio.

Docet beatus Lucas à quo mittantur, iuxta quod ad Galat 1. dicit idem Paulus: ✣ Euangelium quod euangelizatum est à me, non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu CHRISTI. Non ergo ab hominibus, neque per hominem vocatus aut missus, sed à spiritu sancto iussus segregari, & ab eodem missus, abijt cum socio Seleuciam, quę est Syriæ ciuitas in promontorio sita, ad quam vsque peruenit nemus Daphnes, condita à Seleuco Nicanore rege Syriæ, aliquando dicta Pieria, ex qua teste hic Luca, commodissimus est in Cyprum traiectus. De Cypro autem capite 11. superiore diximus. Salamina autem, vel Salamin, aut Salamis, insula

✣Gal. 1.a

Seleucia.

Salamina.

insula est in mari Euboico cõtra Athenas, in qua est vrbs eiusdem nominis. Est & Salamis vrbs in Cypro insula, in amœnissimo situ orientalis littoris sita, quam Teucer à Telamone patre expulsus, & in Cyprum nauigans condidit, ibique insigne Ioui sacrum templum construxit. Et de hac nunc præcipuè loquitur, & in hac Barnabas natus & passus, nunc autem Constantia dicta, cuius fuit Epiphanius episcopus, doctor integerrimus, & hæreticorum malleus acerrimus. In hac autem vrbe primùm cœpit prædicare verbum Dei, & imprimis Iudæis in synagogis eorum.

Et cùm perambulassent vniuersam insulam vsque ad Paphum, inuenerunt quendam virum magum pseudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bar Ieu, qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic accersitis Barnaba & Saulo, desyderabat audire verbum Dei. † Resistebat autem Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius) quærens auertere proconsulem à fide.

23 †q. 4. capite. Quod Christus.

Paphus. Paphus Cypri ciuitas est, in littore occidentali posita. Itaque è Salamine, quæ est in littore orientali, ad Paphum, quæ est in littore occidentali, tendentibus, totam insulã peragrari oportuit. Vnde bene ait Lucas διελθόντες, id est, cùm perambulassent, siue peragrassent vniuersam insulam vsque Paphum. Duplex autem fuisse Paphos dicitur, scilicet vetus, quæ olim totius insulæ metropolis fuit, à vetustissimis authoribus, & præcipuè poetis celebrata, in qua erat templum Veneri dicatum, ob quod dicebant eam Paphiam. In hac septem frãtres Machabæi cum matre martyrio coronati sunt. In quorum honore adhuc fanum supereſt, septem sacellis distinctum, multa deuotione visitatum. Altera Paphos noua, à veteri distans 10. stadijs, templa habet optimè structa, portum habens. Inde ad Alexandriam traiectus 3600. stadijs. In vtra verò earum hæc peracta sint, doctores tacent. Alteram itaque illarum ingressi Apostoli, inuenerunt quendam magum auertentem populum à Christi fide & cultu, & præcipuè Sergium Paulum, illius vrbis proconsulem, qui tamen maximè Dei verbum desyderabat audire. Huius autem magi Elymas

nomen

nomen interpretatur, quod quidam dicunt significare idem quod magus, aut præstigiator, deductumq; putãt, si à Græco, ἀπὸ τοῦ ἔλυμον, quod nigrum vel pannosum significat, nomen illi à moribus inditum: sin ab Hebræo אלרסבת elymana, vel elyman, quod cæcum significat, qui Paulo & eius resistẽs monitis excæcatus est. Bar Ieu autem, siue Bar Iesu, quidam putant esse nomen proprium illius magi, saltem à patre tractum, quod idem sonat quod filius Ieu, vel Iesu, sicut Petrus Bar Iona, quasi filius Ioannæ, siue Ioannis. Alij dicunt cognomen sibi fictum, ac vero nomine dictum ἔλυμαν, sed id sibi cognominis acciuisse, vt apud proconsulem fauorem magis conciliaret. Nam Bar Ieu, siue Bar Iesu significat vel filium Iouis, vel filiũ saluatoris, quo nomine magni quid esse dicebat.

Saulus autem, qui & Paulus, repletus spiritu sancto, intuẽs in eum, dixit: O plene omni dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsq; ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ. Et circumiens quærebat qui ei manum daret. Tunc proconsul cùm vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini.

Paulus hactenus semper dictus est Saulus, & vt quibusdam placet, à Sergio Paulo proconsule Cypri: nec postea Lucas eum vocat Saulum, quod tamen plerisque non placet. Quibus tamen omissis adhæreo Hieronymo in epistolam ad Philemonem, ita dicenti: Saulus ad prædicationem Gentium missus, à primo Ecclesiæ spolio proconsule Sergio victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum, vt Paulus diceretur ex Saulo. Chrysostomus autem, & post eum Oecumenius nomen illi inditum diuinitus, ne vel in hoc minor esset Apostolis Paulus: quod & Petro accidisse notum est, qui cùm Simon diceretur, à CHRISTO dictus est Cephas, qui interpretatur Petrus. Erasmus cum quibusdam alijs eum fuisse binominem putat: maius tamen est Hieronymus argumentum, vt à primo ad fidem à se conuerso Sergio Paulo, ante cuius conuersionem nun-

nunquam dictus est Paulus, sed semper Saulus, & post cuius conuersionē semper dictus est Paulus, & nunquā Saulus. At vt non ex ira cæcitatem mago impretatus dicatur, hunc Lucas plenum dicit spiritu sancto, quòd verba illa potius conuertentis essent, quæ non perpetuam illi cæcitatem imprecarentur, quàm punientis, vt proconsulem ad suam adduceret sententiam: quod & fecit.

Et cùm à Papho nauigassent Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphiliæ. Ioannes autem discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam. Illi verò pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ, & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis & prophetarum miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

Facto lucro Paphum egressi Apostoli nauigant in Asiam. Ingrediuntur autem Pamphiliam prouinciam, & illius ciuitatem Pergen non infimam. Pamphiliam autē

Perge. 1. cap. suprà descripsimus: in ea est Perge, seu Perga ciuitas, olim ob fanum Dianæ, quæ inde Pergæa dicta est, insignis. Ioannes autem hic est cognomento Marcus, Barnabæ consobrinus, siue vt alij dicunt, nepos. Nam vocabulum Græcum, quo vtitur Chrysosto. est ἀνέψιος βαρνάβα, ἀνέψιος autem filium fratris significat, aut sororis, quem nepotem vocant vulgares, & consobrinum. Cur autem hic Ioannes discesserit ab eis, nullam adducit causam Lucas: Glosa autem hanc esse causam futuri dissidij, de qua infrà 15. cap. qui iunctus est Barnabæ, & Sila Paulo. A Perge venerunt Antiochiam Pisidiæ: de cuius descriptione vide supr. cap. 11. Ingressi autem Apostoli Iudæorum synagogam, tanquam audituri lectionem, sederunt. Vnde à superioribus, si quid haberent exhortationis, proferrent ad plebem, rogati sunt.

†Psa. 94. a †Psa. eod. Exo. 13. d. † Psal. 94 b. Exo. 16. a.

Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israëlitæ, & qui timetis Deū, audite: Deus plebis Israël elegit patres nostros, & plebem exaltauit, †cùm essent incolæ in terra Aegypti: † & in brachio excelso eduxit eos ex eā, † & per quadraginta annorū tempus mores eorū sustinuit

nuit in deserto. †*Et destruens Gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos.* † *Et post hæc dedit iudices usque ad Samuel prophetam.* †Iosue. 14.a. †Iud.3.b.

Hunc Pauli sermonem in hanc rationẽ Lyranus deducit. Deus qui tot beneficia patribus nostris contulit, redemptorem ex semine Dauid promisit daturũ se nobis: hanc autem promissionem nuper in filio suo adimpleuit: huic igitur tanquam redemptori sub pœna damnationis adhærendum est. Assumptionem autem ex veris, & ab omnibus Iudæis concessis, captans eorum beneuolentiam, sic probat: Deus qui nos peculiarem sibi populum elegit, licet omnium sit Dominus, patres nostros inter hostes suos Aegyptios semper exaltauit, & cum brachio excelso inde eduxit, quos per 40. annos in deserto aluit, & illorum mores sustinuit: & post quadringentos quinquaginta annos ✠ deleuit à facie eorũ Gentes, & distribuit eis terram Chanaan in funiculo distributionis. Post hæc dedit illis iudices vsque ad Samuelem postremum illorum. Nec eorum refert ingratitudinem, & post idola adinuentiones & errores. Quod autem dicit, post quadringentos annos, Græca quæ nunc extant, secus habent, nempe, καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτάς, id est, & post hæc annis quasi quadringentis quinquaginta dedit illis iudices. Beda autem aliter legit: Sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos quinquaginta annos, computans hos annos à natiuitate Isaac, à qua vsque ad egressum Aegypti fluxerunt anni 405. quibus si addas 40. annos quibus vixerunt in deserto, & circiter quinque annos bellorum sub Iosue, quando finitis præliis diuisa est illis terra, conflabuntur anni circiter 450. Sensus ergo Bedæ, & versionis nostræ est, quòd illis diuisit terram eorum quasi post quadringentos quinquaginta annos à natiuitate Isaac quæ supputatio vera est. Sensus autem Græcè lectionis est, quòd distribuit eis terram eorum, & post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta dedit illis iudices vsque ad Samuelem. Vbi τὸ post hæc, refert non ad distributam terram, sed ✠ Psal. 77.f.

ad

ad egressum ex Aegypto, à quo Moyses illis præfuit 40. annos, Iosue 27. Othoniel 40. Aoth 80. Debora. 40. Gedeon 40. Abimelech 3. Thola 23. Iair 22. Iephte 6. Abessan 7. Aialon 10. Abdon 8. Samson 20. Eli 40. Samuel & Saul 40. qui simul iuncti, 446. annos constituunt. Vnde Paulus non malè dixerit annos circiter quadringentos quinquaginta.

†1.Re.8.a †1.Reg.9.c.&.10.a. †Psa.88.b †1.Reg.16.c.

†*Et exinde postulauerunt regem,* †*& dedit illis Saul filium Cis, virũ de tribu Beniamin annis quadraginta.* †*Et amoto illo suscitauit illis Dauid regem, cuius testimonium perhibens dixit:* †*Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

Assumptum suum prosequitur Paulus, vt typum suũ, Dauidem inquam, attingat. Post iudices enim Iudæi regem petierunt, quibus datus est Saul, quo non erat tunc in Israël melior: verùm quia honores mutant mores, & sæpius in deteriores, amoto Saule illi suffectus est Dauid, cui Dominus testimonium perhibuit, dicens: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum. Huius expositionem Augusti. refert. De octo dulcitij quæstio. quæst 5. Quæris inquit, quare Dominus dixerit, nimirum præscius futurorum: Elegi Dauid secundum cor meum: cùm talia tantaque ipse homo commiserit? Quod quidem si de ipso Dauid, qui reprobato Saule & extincto fuit Rex Israël, dictum intelligamus, magis quia Deus præscius futurorum est, præuidit in eo tantam pietatem, tamque veracem pœnitentiam, vt esset in eorum numero, de quibus ipse dixit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui nõ imputauit Dominus peccatum. Cùm ergo præsciret eum Deus peccaturum, & peccata sua pia humilitate, & syncera pœnitentia deleturum, cur non diceret: Inueni Dauid secundum cor meum: cui non erat imputaturus peccatum, tam multa bona faciẽti, & cum tanta pietate viuenti, & ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerẽti? Propter hæc omnia verissimè dictum est: Inueni Dauid secundum cor meum: quia licet secundum cor Dei non esset, quòd ille peccauit, tamen secundum cor Dei fuit, quòd pro

pecca-

peccatis suis cõgrua pœnitẽtia satisfecit. Hoc solũ ergo in illo secundũ cor Dei fuit, q̃ illi Deus nõ imputauit.

Huius Deus ex semine † secundum promissionem eduxit Israël saluatorem Iesum, †prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius baptismum pœnitentiæ omni populo Israël. Cùm impleret autem cursum suum dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, † sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere. †Isa.21.a. †Matt.3.a Marc.1.a. Luc.3.a. Ioan.1.c. †Mar.1.b Ioan.1.d.

Paulus ad prædicta subsumit: Quoniam Deus ex huius Dauidis semine secundum carnẽ adduxit Israëli saluatorem Iesum, quem etiam Ioannes baptista, antequam se Israëli manifestaret, prædicauit, & pœnitentiæ baptisma tanquam verus propheta annunciauit. Et cùm Ioannes tanquam verus Messias à plerisque acclamaretur, respondit, dicens: Non me arbitremini quæso tanto dignum honore, vt illius mihi tribuatis honorem, sed ipse post me venit, imò inter vos est, cuius non sum dignus calceamentum pedum soluere. Huius itaq; præclari viri non est negandum testimonium.

Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habitant Ierusalem, & principes eius, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt: & nullam causam mortis inuenientes in eo, †petierunt à Pilato vt interficerent eum. Cumq; consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. †Deus autem suscitauit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his qui simul ascenderunt cum eo de Galilæa in Ierusalem, qui vsq; nunc sunt testes eius ad plebem. †Matth. 27.c. Mar.15.b. Luc.23.c. Ioan.19.c Sup.3.c. †Matth. 28.a. Mar.16.a. Luc.24.a. Ioan.20.a

Quos vt ad sibi credendum facilius alliceret, eorum generositatem adducit, vtpote qui filij essent Abrahæ, cui de Messia promissio facta est in semine eius, & ideo ad quos talis promissio dirigitur, præcipuè Deum timentes. Vt verò eos acrius argueret, qui eius necis causa fuerunt, principes inquit, Ieroſolymitani tradiderunt eũ viro alienigenæ interficiendum. Id quod tamen ignorãtiæ peccato tribuit: sed & quod oportebat sic fieri iuxta

voces

voces prophetarum, in omnium tamen bonum, & vtilitatem. Sic autem mortuum Deus tertia die suscitauit à mortuis. Nec dicit ipsum Christum sua se virtute suscitasse, id quod tamen verum erat, sed omnia pro audientium conditione attemperat: sed Deus illum suscitauit à mortuis, scilicet pater eius: vel etiam ipse filius, qui cum patre idem Deus humanam naturam suam reuocauit à mortuis, secundum quod Dei patris potentia est, per quē fecit & secula. Ideo tamen dicitur suscitatus à patre, ad quem vti ad principium causamq; æternam cuncta sunt referenda. Huius autem resurrectionis multi adhuc testes supersunt, qui cum eo ante & post mortem conuersati sunt, comederunt, & biberunt, qui ad hoc præordinati sunt, vt de eo apud plebem fidele perhibeant testimonium, quòd ipse sit Iudex viuorum & mortuorum constitutus, & iuxta prophetarum dicta crucifixus, mortuus, sepultus, & suscitatus.

Et nos vobis annunciamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hāc Deus adimpleuit filijs vestris, resuscitans Iesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum
†Psal.2.b Heb.1.b. *est: †Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quòd aũt suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in cor-*
†Isa.55.a *ruptionem, ita dixit: †Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideoq; & aliâs dicit: Non dabis sanctum tuum vide-*
†Psa.15.d *re corruptionem. Dauid enim in sua generatione cùm ad-*
Supr.2.c. *ministrasset voluntati Dei, †dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem verò Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem.*

Nec hi soli ad Palæstinos destinati sunt testes, sed & nos mittimur ad dispersos Israël, bonum vobis nuncium afferentes, super facta ad patres nostros promisione, quam his diebus suscitato Iesu impleuit in nobis, sicut in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te: quod de Christi humanitate interpretatur Apostolus, etsi multi de æterna eius generatione interpretentur. Veruntamen Pauli & Chrysostomi, aliorumque Græcorum interpretum de Christi resurrectione interpretantium videtur plerisq; hoc loco authoritas imi-

imitanda, cùm vera resurectio beatorum ad vitam immortalem generatio sit. Cùm Matth. etiam cap.19. generalem omnium resurrectionem regenerationem Christus appellet, dicens: In regeneratione cùm sederit filius hominibus in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Quòd verò CHRISTVS excitatus sit à mortuis, non amplius moriturus, neque in corruptionem conuertendus, ex prophetis insinuat: ex Isaia inquam 55.cap. ✠Dabo vobis sancta Dauid fidelia. Hunc locum citauit Paulus iuxta septuaginta interpretes. Nam Hebræa secus habent: Feriam vobis pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Sensus autem loci secundum septuaginta est: Præstabo vobis fœdera, quæ Dauid promisit, fidelia & vera. Sancta enim fœdera vocat à sanctificando. Vel dic, quòd refertur hic locus ad id quod paulo antè præcesserit: quoniam hanc Deus repromissionem adimpleuit filijs vestris. Aut potius probaturus, quòd non sit subiturus corruptionem, duo testimonia affert Primum Isaiæ, quod sic probat: Quicquid Deus promisit Dauidi, promisit illi fore ratum. Et quòd hic locus rectè citetur à Paulo de resurrectione, patet: cùm enim hic Christus iuxta plerosque, vt verba Isaiæ sequentia prætendunt, Dauid appelletur, necesse est vt sit homo, & porrò vt moriatur. Hic autem promittit Deus fidelitatem eius firmam & perpetuam, quæ si perpetua sit futura, necesse est ipsum fore perpetuum: qui si desineret, fidelitas finem haberet. Cùm ergo homo sit, & tamè perpetuus, necesse est vt hominem mori, & inde in vitam infinitam rediturum, aliâs fidelia eius sancta & firma, ac rata non dedisset illi Deus. Deinde aliũ affert locum, quo prædixit Dauid fore, vt Christus non sentiret corruptionem. Iã si hoc promisit Christus Dauidi & Isaiæ, rata fore & firma fœdera & promissa Dauidi facta, sancta & firma erunt. Quoniam quem Deus excitauit à mortuis, non vidit corruptionem. Dauid autẽ Dei volũtati seruiens, dormiuit, & ad patres suos appositus est, & vidit corruptionem. Non igitur hic locus de Dauide intelligendus est, vt sup. cap.2. deductum est.

✠Isa.55.

Notum igitur sit vobis fratres, quia per hunc vobis remis-

sio peccatorum annunciatur ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari. In hoc omnis qui credit, iustificatur. Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in prophetis: †*Videte contemptores, & admiramini, & dispergimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non creditis, si quis enarrauerit vobis. Exeuntibus autem illis, rogabant vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.*

† Abac. 1.b.

Propositum ab initio Paulus concludit, quòd videlicet huic CHRISTO & Messiæ sic ex Dauidis semine nato, tanquam redemptori & saluatori, per quam remissio peccatorum omni credenti in eum annunciatur, adhærendum est, in quo qui credit, iustificatur: qui verò non crediderit in eum, in æternum peribit. Quod prophetia Abacuc probat: Videte inquit, contemptores, &c. Locus iste, quem dicit esse in prophetis, habetur Abacuc 1. iuxta veritatem Hebraicam hoc modo: Aspicite in Gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur. Quibus verbis reprehendit Iudæorum incredulitatem propheta, qui non crediderint prophetis de euersione Nabuchodonosor, & Israëlis liberatione promittentibus. Hæc autem verba adaptat Paulus, vtens versione septuaginta interpretum, Iudæis tũc existentibus, qui Apostolis liberationem sui per Christum promittentibus non crederent, sed contemnerent. Quod verò interpres vertit: dispergimini ab Assyrijs, à Syris, & tandem à Romanis, Græcè est ἀφανίσθητε. Est autem ἀφανίζω demolior, & ἀφανίζεσθω demoliri, marcescere, & euanescere, & è conspectu auferri. Itaque verti posset, marcescite, aut hinc abite, tanquam incredulos ferre non possit, aut videre nolit. Et hæc tanta prædicit futura mala, & incredibilia vt vix credantur, si quis ea talia narrauerit, & minatur ventura. His dictis exeuntes è synagoga rogantur altero sabbato sequenti perseuerare. Græca tamen secus leguntur: ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, παρεκάλουν τὰ ἔθνη, εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα: id est, Egressis è synagoga Iudæis, scilicet cũ Paulo, rogabant

gabant Gētes ipsum, vt sequēti sabbato verba illis faceret. λαλῆσαι. n. ad Paulū referens, qui vnus loquebatur, singulari numero verto, licet ad socios eius etiā dirigatur. μεταξὺ σάββατον vocauit futurū, sed proximū sabbatū.

Cumq; dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Iudæorum & colentium Deum aduenarum Paulum & Barnabam: qui loquētes suadebant eis vt permanerent in gratia Dei. Sequenti verò sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei. Videntes aūt turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerūt: †Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. †Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsq; ad extremum terræ. Audientes autem Gentes gauisi sunt, & glorificabant verbum Domini. Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per vniuersam regionem.

†12.q.1.c. Futuram Ecclesiā. De renū ciatio. Nisi cùm pridem. †Isa.49. b.

Dissoluto cœtu multi Iudæi & Proselitæ secuti sunt Apostolos, vt amplius informarentur, & baptizarentur: quos Apostoli per totam hebdomadam viam vitæ docuerūt, persuadentes, vt sic firmi in gratia Dei permanerent. Sequenti verò sabbato synagogam rursus Apostoli prædicaturi redeunt, ad quos vniuersa confluit ciuitas, vt verba Dei iterum audiat. Quod Iudæos aduersus Apostolos acrius commouit. Iudæi enim plebem ad audiendum Dei verbum excitare debebant, quam ab illo pro viribus auertebant, & Apostolis contradicunt in omnibus, in quibus illos commendare debebant. Verùm contentio sua magis plebem animabat, & prædicationem augebat, id quod malignis sæpissimè accidere solet. Quibus non obstantibus Paulus & Barnabas constanter & cum fiducia prædicantes, Iudæis dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, &c. Iudæi enim quasi soli digni, quibus veritas aperiatur, in cæteros inuidia mouentur, vnde se prorsus reddunt indignos, Gentibus verbum dei audientibus, iuxta

illud prophetæ: Populus quem nõ cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mẽtiti sunt mihi, filij alieni inueteráti sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Quod autem oporteret illis primò prædicare, ex hoc Christi dicto patet: Nõ sum missus nisi ad oues quę perierunt domus Israël. Veruntamen quia verbum Dei repellebant, se illius indignos certè probabant. Nec verbis irritantibus eos alloquitur, dicens: Ecce relinquimus vos: sed ad Gentes diuertimur, qui nos benignè excipiunt, & verbis nostris attendunt, sicut etiam nobis præcepit Dominus: Posui te in lucem Gẽtium, Isa. 49. Quæ verba dicta sunt de Messia: sed ea sibi rectè Paulus applicat, cui dixit Christus similia verba infrà. 22. Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te. Hoc autem Gentes alacriores reddidit & feruẽtiores, qui digni sunt frui his quæ Iudęi tanquam iudicantes indignos seipsos abijciebãt. Vnde quotquot à Deo prædestinati essent ad vitam æternam, crediderunt, & Apostolis adhæserunt: quamobrem verbum Dei quotidie crescebat, & differebatur per totam regionem.

Iudæi autem cõcitauerunt mulieres religiosas, & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerũt persecutionem in Paulum & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis. † *At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoq; replebantur gaudio, & spiritu sancto.*

†Matth. 10. c. Marc. 6. b Luc. 9. a.

Mirum est, quia quocunq; pergunt Apostoli, Iudæos sibi reperiunt aduersarios, gentem sine consilio & prudentia, qui vbiq; prædicationi aduersantur. Vnde Antiochia egressi Apostoli iuxta Christi præceptum, è pedibus suis puluerem eijciunt, vt nihil è terra impiorũ hominum secum efferant, neq; cum illis in aliquo sint participes. Inde veniunt Iconium gaudentes, quos etiã fuga reddidit alacriores, iuxta magistri sui dictum: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: vt pluribus in locis verbum Domini spargeretur. Est autem Iconium inter oppida Lycaoniæ celeberrimũ, ad montẽ Taurum, vbi Apostoli benignè excepti sunt, & ibidẽ docuerũt, fortiter agẽtes præsidio Dñi: à quo tamẽ Iudęorum factione salutẽ sibi fuga quærere tandẽ coacti sunt.

Iconium.

CAPVT

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Paulus & Barnabas multis Iconij conuersis, Iudæorum tumultibus agitati fuga sibi consulere adacti sunt. Lystris verò excepti claudum sanant, ideo dij à plebe vocantur, & illi sacrificare idolorum sacerdotes nituntur: quod repulerunt, dicentes se esse mortales, Deum immortalem annunciantes. Vnde à Iudæis ibi lapidatus est Paulus: inde fugit in Derben, & inde reuersus Lystram, & Iconium, & Antiochiam, Pamphyliam, & Attaliam, & tandem Antiochiam, vnde prius egressi.

FActum est autem in Iconio, vt simul introirent synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo. Qui verò incredduli fuerũt Iudæi, † *suscitauerunt,* †Sup.6.e. *& adiracundiam concitauerunt animas Gentium aduersus fratres. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.*

Synagogam Iudæorum Apostoli pro more ingressi in Iconio, verbum Dei annunciare cœperunt, ita vt bonam ciuium partem, & Iudæorum & Græcorum conuerterent ad Dominum. Vbi Græcos credit Lyranus Iudæos in Græcia natos, quos tamen alibi vocat Ἑλληνιστὰς, hîc autem vocat Ἕλληνας: ideo potius crediderim hos fuisse Gentiles, & fortè Proselytos: cum quibus Apostoli disserentes, eos non modò verbis, sed & signis conuicerunt, atq; prodigijs prædicationem suam confirmantibus, iuxta illud Marc. vltimo. ✠Illi aũt profecti prædicauerunt vbiq́ue, Domino cooperãte, & sermonem confirmante sequentibus signis. Ea propter qui non sunt satis persuasi Iudæi, Gentiles concitarunt, quasi non soli perirent, sed cæteros, quos possent, secum ducerent: id quod mali facere solent. Pro cõcitarunt, Græcè est ἐκάκωσαν, pro quo verbo Erasmus maluit vertere, corruperunt: verbum aũt Grecũ neq; hoc, nec illud significat, sed vexo & affligo. Significare etiam potest, ✠Marc. 16.d.

malè habeo, vnde sensus est: Malè habuerunt animas, vel melius, animos Gentiliũ aduersus fratres. i. fecerũt, vt malo essent animo Gentiles aduersus Christianos. *Diuisa est autem multitudo ciuitatis, & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam verò cum Apostolis. Cum autẽ factus esset impetus Gentilium & Iudæorum cum principibus suis, vt contumelijs afficerent, & lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystram & Derben, & vniuersam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.*

Ex concitatione Iudæorum scissa est Iconij ciuitas, ita vt quidam Iudæis, cæteri Apostolis adhærerent, iuxta dictum Christi: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Ex quo contumelijs cœperunt Apostolos afficere. Græcè est ὑβρίσαι, quod Erasmus maluit vertere, vt vim facerent, quia inquit, non timebant post contumelias, quasi verò Gentiles & Iudæi vnà cum lapidatione non etiam contumelijs afficerent. Sicut enim contumelias non timebant propter Christum, ita neq; mortem. Quod aduertentes confugerunt ad alias ciuitates, non temerè in pericula, Christi memores præcepti, se conijciẽtes: Si persecuti fuerint vos in vna ciuitate, fugite in aliam. Non ignauum enim ducebant periculum fugere, sed ex diuino præcepto, quo amplior ministerij fructus sequeretur. Estque magnæ prudentiæ impiorum furori aliquando cedere, ne & innocentes interficiant. Fugientes igitur Apostoli venerunt Lystram & Derbam, ciui-

Lycaonia tates Lycaoniæ. Est autem Lycaonia Gallatiæ contermina, regio insignis, adortum solis Cataoniæ, ab occasu Pamphyliæ & Pisidiæ, à meridie Ciliciæ, vsque ad Taurum montem austrum versus extensa. Præclaræ in ea

Derba. sunt vrbes, Iconium, de qua suprà. Derba est Cappado-

Lystra. ciæ adiuncta, paris cum Iconio propter Apostolorum prædicationem claritatis, iuxta quam & Lystra non minus celebris propter Pauli lapidationẽ, de qua infrà. *Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum. Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris. †Et quidam*

†Sup. 3. a. *vir Lystris infirmis pedibus sedebat, claudus ex vtero ma-*

tris

tris suæ, qui nunquam ambulauerat, hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet vt saluus fieret, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exiluit, & ambulabat.

Profugi itaque Apostoli peruenerunt Lystram, ibiq; moram traxerunt, verbum Domini annunciantes, vt omnes duxerint in admirationem: quod persecutiones sæpius facere solent, & victos tandem persecutores ostendere, persecutos autem fore victores. Cùm enim prædicaret Paulus in Lystra, magnum claudo sanato facit miraculum. Hic enim claudus, quia verbum Christi prædicante Paulo audiuit, nihil impediente claudicatione, quin diligenter attenderet, quod audiens credidit, & credens sanatus est, vt palàm saltaret in perfectæ signum sanitatis, soli Deo miraculum possibile credēs, nisi cui Dominus Deus dederit.

Turbæ autem cùm vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulū verò Mercurium, quoniā ipse erat dux verbi. Sacerdos quoq; Iouis, qui erat ante ciuitatē, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare.

Quoniam idololatræ videntes hominum facultatem quid excedere, Deo tribuebant. Apostolos igitur signa facere, quæ communē excedunt hominum facultatem, Lystrij videntes, illos Deos esse existimauerunt, & diuinos illis dignum ducebant honores offerre, imò & illis tanquam dijs sacrificare. Barnabam autem propter morum grauitatem & antiquitatem Iouem appellabant, Paulum verò Mercurium, quòd dux prędicationis esset. Mercurium enim poëtæ Deum eloquentiæ dicebant, & sermonis interpretem, quem ob dicendi peritiā & maiestatem Paulū arbitrabantur: quia & cōcionibus præerat, & conciones ipse faciebat. Vnde Iouis sacerdos ad huius idoli curam deputatus, parat coronas ad Apostolos coronandos, & hostias illis immolandas.

Quod vbi audierūt Apostoli, Barnabas & Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes & dicentes:

† Psal. 145.c. Apo.14.b † Psal. 80.c. *Viri, quid hæc facitis? † & nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deũ viuum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus † dimisit omnes Gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluuias, & tẽpora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Et hæc dicentes vix sedauerunt turbas ne sibi immolarent.*

Cùm audirent Apostoli turbas acclamantes: Dij in specie humana descenderunt ad nos: parum moti sunt, quia nondũ illis cõpertum erat quid dicerent, cùm vulgari lingua patriæ loquerentur. Vbi verò viderũt coronas ad sacrificium aptatas, exilierunt in eos, & scissis vestibus, more Iudęorũ in Deum blasphemiã audientium, clamauerunt, dicentes: Viri Lystrij, cur hæc facitis nobis, qui vobis similes sumus, qui ad vos missi à summo Deo sumus, vt vos ab hac idololatria reuocemus, & penitus eam dissoluamus, quãto minus nos existimare debetis, vt ad illam vos inducamus? Vide inquit Chrysost. illos vbique à gloriæ studio mundos, quam non solùm non desiderabant, sed & cùm daretur, repellebant. Inde arguit eos tanquam pœna dignos, qui nutritorem suum non agnoscunt Deum, qui dat escam omni carni, dans de cœlo pluuias, & cuncta homini necessaria, implens cibo & lætitia omniũ hominum corda permittitq; ambulare in vijs suis omnes gentes, & propria lege frui. Quod autem dicit: Mortales sumus similes vobis: Græce est ὁμοιοπαθεῖς, vnicum vocabulum, id est, nos eadem mortalitatis conditione vobiscum præditi sumus, simili cõditione vobiscum humanitus afficimur, ijsdem malis atque affectionibus & passionibus, sicut & vos, obnoxij sumus. Et vix hæc dicentes turbas compescuerunt, quin sibi immolarent, & ab hac insania turbam liberarent.

†2.Cor. 11.f. *Superuenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, & persuasis turbis † lapidantes Paulũ traxerunt extra ciuitatem, æstimantes eum mortuum esse. Circundantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben.*

Quanto

Quanto magis Apostoli prædicationibus fidem erigere moliebantur, tanto, studio Iudæi deprimere conati sunt. Apostolorum igitur à longe prædicationem audientes, aduenium, seditionem in eos excitant, Paulum lapidant, & eum veluti mortuum extraxerũt foras portam ciuitatis. Adeò malignum semper & sæuum in seruos Christi fuit Satanæ regnum. Sed hoc iure belli cõtingit, vt triũphus nõ decernatur, nisi hostiũ victoribus. Proinde denuo reuersi Apostoli Derben & Lystrã, Iconium & Antiochiã, docuerũt quòd per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnũ Dei. Vnde sequitur.

Cumq; euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi Lystram, & Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesq; vt permanerent in fide: & quoniã †per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.

†1.quæst. 3.canone Saluator.

Reuersi itaque Apostoli, vbi fuerãt contumeliam passi, ibi intrepidè prædicant, quos conuerterant, confirmantes. Vbi autem dicit animas aptius dixisset animos eorum confirmandos, vt perseuerarent in fide: qua ablata tota spiritualis ædificij machina corruit, & cum qua per varias mundi, dæmonis, & carnis atque appetitus sensitiui tribulationes oportet in regnum Dei intrare fideles. Quibus exhortationibus confirmati, qui crediderant discipuli, suffragijs delegerunt illis presbyteros per Ecclesias, orationibus & ieiunijs eos Domino commẽdauerunt. In quo patet Paulum & Barnabam episcoporum dignitatem habuisse, qui non solùm diaconos aut subdiaconos, sed etiam presbyteros consecrabãt, & benecfiijs prę ferebant. Ex quibus verbis patet aliã tunc fuisse episcoporum, aliam presbyterorum dignitatem.

Transeuntesq; Pisidiã, venerũt in Pamphyliã, & loquentes verbũ Domini in Pergen, descenderũt in Attaliã, †& inde nauigauerunt Antiochiã, vnde erant traditi graitæ Dei in opus quod compleuerunt. Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, &

†Sup. 13.a

lis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

Iam iam fidei ostium Gentibus aperuerant, ideo ad fratres redibāt, narraturi quid hactenus egissent, & quòd cū fiducia Gentibus prædicare liceret. Reuertunturque Apostoli per loca vbi antea prædicauerant referentes quid illis inde contigisset, & confirmantes vt starent fixi annunciatis, & ea cum fiducia prædicarent. Peragrarūt itaque Pisidiam, quæ est minoris Asiæ prouincia, ab Austro Galatiam habens & Pamphiliam, haud magna regio, quæ duodecim magnas continet vrbes. Pamphilia quoque Asię regio ab ortu Ciliciam habet, ab occasu Lyciam, & Asię minoris partem, à septentrione Galatiā & Cappadociam, à meridie mediterraneum mare. Attalia Græcè ἀτταλία, penulti. prod. ciuitas est Pamphiliæ maritima, authore Hiero. cuius nominis altera est in Lydia. Quibus regionibus peragratis, patriæ fuæ vnde exierant redditi sunt vt annunciarēt cæteris cōdiscipulis, quantam illis gratiam in conuertendis Gentibus Dominus contulisset, & quāta pro nomine eius passi fuissent, vt & ipsi cum fiducia prædicarent.

Pisidia.
Pāphilia.
Attalia.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Orta inter discipulos super circuncisione & legalibus seditione, Paulus & Barnabas ab Antiochia Ierosolymā ascenderunt, vbi communi omnium decreto statuunt, conuersas ad fidem Gentes legi Moysi non esse obnoxias: reuersi verò Antiochiam Paulus & Barnabas, separantur ab inuicem, & Barnabæ adhæret Marcus, & Paulo Sila.

†2. Cor. 6. c. Gal. 3.

ET *quidam descendentes de Iudæa docebāt fratres:* †*Quia nisi circuncidamini secundum morē Moysi, non potestis saluari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderunt Paulus & Barnabas, & quidam alij ex aliis ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem super hac quæstione. Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conuersionem Gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.*

Suborta Antiochiæ disceptatione, Græcè enim habetur

betur ἀνζητήσεως, disceptatione, siue contentione inter quosdam fratres, qui descenderant à Iudæa Antiochiã, & Paulum cum Barnaba super circuncisionis & legalium Moysi obseruatione: tandem statuerunt mittere Paulum & Barnabam ad Apostolos in Ierusalem pro huius contentionis decisione, non quòd de illa dubitarẽt, cuius oppositum semper prædicassent, non esse scilicet obseruanda legalia: in qua opinione firmiter persistebãt. Ex parte vtraque igitur, Pauli scilicet, & qui ascenderent à Iudæa, missi sunt quidam, vt vterque suam causam coram Apostolis tueretur. Ideo dicit: Et quidam alij ex alijs: Græca tñ quæ nunc extant, habent ἄλλους ἐξ ἄυτῶν. i. alios ex ipsis. Noster interpres legit ἄλλους ἐξ ἄλλων. i. alios ex alijs, vt intelligas quòd à cnocilio Antiocheno ex parte Pauli & sequaciũ missi sunt Paulus ipse & Barnabas, ac Titus, vt idẽ Paulus fatetur ad Galatas scribens, vbi hanc ascensionẽ aptissimè describit. Ex parte aũt aliorum qui ascenderãt à Iudæa, missi sunt alij, vt vnaquæq; pars pro sua causa apud Apostolos ageret. Hãc aũt ascensionẽ fuisse post 14. annos à sua cõuersione, nõ à prima ascẽsione, qua post tres annos à cõuersione ascẽderat Ierusalẽ, visurus Petrũ, tenet Beda, alias hic annus ascẽsionis decimus octauus esset à passione Christi, quando Petrus adhuc Ierosolymis esset, nec ex cõsequenti 25. annis sedisset Romæ, cuius oppositum seruat Ecclesia.

Cùm autem veniſſent Ieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis & ſenioribus, annunciantes quãta Deus feciſſet cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circuncidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. Conuenerunt́ Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos:

Non ascendit igitur Paulus, vt ab Apostolis aliquid disceret, vt ipse testatur ad Galatas, sed vt persuaderet cõtradicẽtibus eos qui Ierosolymis erant suæ esse sententiæ. Aduenies igitur Ierosolymamã, ab Apostolis & senioribus benigne susceptus narrauit quę lapsis 14. annis apud Gentes egisset. Veruntamẽ vt augeretur dubitatio, quidã Pharisęi, qui etsi credidissent, tñ necessariã putabãt

cum

cum baptismo circuncisionem, & legis Moysi obseruationem, ideo Pauli aduersarijs adhærentes auxerunt disceptationem. Ad cuius dissolutionem conuenerunt Apostoli & seniores, qui Græcè πρεσβύτεροι dicebantur. Ex quo conijcere licet, quòd aliam quandam dignitatem habuerunt Apostoli, quæ presbyterorum dignitatē excederet, propter quam non simul assumuntur ipsi cum Apostolis. Coram quibus cùm diutius protēderetur disceptatio, surgens Petrus paucis litem diremit, præ omnibus quasi princeps locutus ex authoritate.

†Sup. 10.b. † *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit,* †Sup. 10.g. † *dans illis spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nūc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.*

Ab antiquis autem diebus dicit, quod sic Græcè est, ἀπὸ τῶν ἀρχαίων ἡμερῶν. ἀρχαῖος enim cùm significet antiquū & primùm, longe aptius erat vertere à primis diebus, videlicet non longè post sanctiſpiritus missionem. Sensus enim est: Deus à primis diebus voluit inter nos & Gentes per os meū audire verbum euangelij, vt Act. 10. visum est, quando à Cornelio missus est Petrus ad euangelizandum, cùm ambigeret, recipiendæ ne essent Gentes in consortium fidei. Quoniam per spiritus sancti missionem in corda Cornelij & domesticorum visus est Deus purificasse corda eorum per circuncisionem cordis, veluti prius in nobis per circuncisionem carnis. Non ideo videtur discernere Christus inter Gentilem & Iudæum, inter masculum & fœminam, inter liberum & seruum, qui sunt omnes vnum in Christo, modò crediderint. Nunc ergo, inquit Petrus, quid tentatis Deum imponere Græcè est ἐπιθεῖναι: ideo facilior esset constructio vertendo per gerundium, imponendo præcepta ceruicibus discipulorum: in quo increduli videmini esse Deo, quasi fide non possit ad se accedentes saluare, per

cuius

cuius gratiam nos credimus saluandos cum fide nō minus, quàm olim populus cum lege et ceremonijs saluabatur, quibus fides cum gratia successit.

Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus, dicens:

Probauit Petrus Deum etiã signo visibili Gentes ad fidem acceptasse, absque circuncisione & alijs legalibus. Idem probant Barnabas & Paulus, narrantes cuncta quæ Dominus per eos in Gentibus fecerit mirabilia. Ex quibus Iacobus sufficiens argumentũ elicit, quia Deus tanta non fecisset signa & prodigia per Apostolos in Gentibus, nisi earum conuersionem absque circuncisione & lege Moysi probasset.

Viri fratres, audite me: Simon narrauit quemadmodum primùm Deus visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est:† Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri hominũ Dominum, & omnes Gentes, super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus, faciens hæc. Notum à seculo est Domino opus suum. Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum: sed scribere ad eos, vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur.

† Amos. 3. c. & 9. c

Iacobo tanquam episcopo Ierosolymitano deferunt cæteri, vt ex auditis tam veteribus, quàm nouis testimonijs censuram proferat, quæ legalibus, & ceremonijs ex lege consuetis finem imponat. Ex narratione igitur Simonis Petri infert sententiã. Græcè hic vocatur Simeõ, de quo hic annotat Valla: Vt Paulus inquit, Græcè vocabatur Saulus, Hebraicè Saul, ita Petrus Græcè fortè Simon, Hebraicè שִׁמְעוֹן Simeon: quod confirmat ipsius epistola altera, quę sic Græcè incipit: Συμεὼν πέτρος: quod

quod videtur attendisse Iacobus, qui Hebraicè loquebatur. Quod autem dicit, visitauit sumere, Græcè, ἐπεσκέψατο λαβεῖν. Cùm autem ἐπισκέπτω significet visito & consydero: aptius erat hoc loco, consyderauit, & tũc sensus est, consyderauit assumendum esse ex Gentibus populum nomini suo. Cui Petri narrationi citat verba prophetarum, qui idem senserunt. Enallage est numeri pluralis pro singulari: verba enim sunt prophetæ Amos ca. 9. quæ ad hoc adducuntur à Iacobo, vt ostẽdat quòd inuocandum erat nomen Domini à Gentibus. Quod autẽ nouissimè additur: facieus hæc Græci codices qui nunc extãt, addunt πάντα. i. omnia: noster interpres non legit πάντα, quemadmodũ & Hebraicè non habetur, neq; apud Septuaginta. Nec igitur, inquit Iacobus, hoc vobis nouum videatur, sed hæc omnia ab antiquo præfigurata sunt. Propterea iudico illos qui ex Gentibus conuertuntur, nõ esse impediendos aut obturbandos, sed illis scribendũ esse, vt abstineãt ab idolorũ inquinamentis, & fornicatione, & suffocato, & sanguine. Quod aũt dicit, à cõtaminationibus simulachrorũ abstineãt. i. vel à cultu idolorum, vel etiam à comestione idolothytorum, quod huiusmodi rem apprimè abhorrent Iudæi, & à fornicatione, quam licitam putabant Gentiles olim. Et quanquam sufficienter euangelica prædicatione inhiberetur, censui tamen hoc loco faciendã eius mentionem. Fornicationẽ enim simplicem dicunt doctores esse peccatum mortale, quòd præcipuè contraria sit matrimonio, in quo secundum ius naturale determinatur copula duorum perpetua, ad bonum totius naturæ humanæ, iuxta quod dicitur Tob. 4. ✠ Attende tibi ab omni fornicatione, præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Et Prouerb. 5. ✠ Ne intẽderis fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis, & sequitur: Lõgè fac ab ea viã tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Et 1. Cor. 6. ✠ Fugite fornicationem. Hanc enim Gentiles esse licitã, ideo necesse fuit eã particulariter prohibere, maximè quæ sit cõtra bonum humanę generationis, educationis, & instructionis, imò et dilectionis, quæ singula sunt secundũ se digna morte æterna, quãuis Gẽtiles respectum ad mortem æternã nõ haberent, quæ esset pœna peccati

✠ Tob. 4. b.
✠ Prouerb. 5.
✠ 1. Cor. 6. d.

morta-

mortalis. Præterea censuit Iacobus eos à suffocato abstinere, id est, ab esu animalis per suffocationem occisi, & sanguine. i. sanguinis effusione, vel etiã manducatione cũ sanguine. Propterea inquit, à suffocato & sanguine Gentibus abstinendum esse censeo, quòd iam olim Moyses, hoc est, libri Moysi per synagogas in singulis ciuitatibus singulis sabbatis leguntur, vbi cùm expresè Genes. 9. & Deutero. 12. cum sanguine comestio inhibeatur.

Tunc placuit Apostolis & senioribus cũ omni Ecclesia † *eligere viros ex eis, & mittere Antiochiã cum Paulo & Barnaba, Iudam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos ex fratribus, scribentes per manus eorum. Apostoli & seniores, fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem. Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeũtes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus, placuit nobis collectis in vnũ eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui tradiderũt animas suas pro nomine Dñi nostri Iesu Christi.* † Sup. 13. d.

Ad tollendam omnem suspitionem, quam Antiocheni erga Paulum & Barnabam habere potuissent, per alios & Ecclesiæ Ierosolymitanæ primos scribunt Apostoli, & totus ordo fratrum ad Antiochenos fratres, super definitione contentionis ibidem ortæ inter quosdam Iudæos, factos tamen Christianos, & Paulum cum Barnaba. At ne videantur nuncij fortè apud Antiochenos suspecti, tum à Paulo & Barnaba petiti, tum qui essent comites eorum, dicũt Apostoli illos ex toto cœtu selectos: sed & Paulum & Barnabam maximè apud eos commendant, qui pro nomine Christi animas suas tradiderunt, neque labori pepercerunt bàrbaras aggredi nationes: de quibus scribit 2. Timoth. 3. ✠ Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum. & seq. patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, scilicet Pisidiæ, Iconij, Lystris, quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. ✠ 2. Tim. 3. b.

Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim spiritui sancto & nobis nihil vltrà

vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorũ, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene agetis. Valete. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiã, & congregata multitudine tradiderunt epistolam.

Mittunt ergo Iudam & Silã duos de primoribus Ecclesiæ, qui per sermonem hæc referant, quæ palàm audierunt. Visum est, inquiunt, spiritui sancto & nobis: nõ igitur est humanum decretum, sed quod spiritui sancto consilio præsidenti placuit. Quòd videlicet Gentes doceatis ex legalibus hæc necessaria pauca Gentes obseruare debere: vt abstineant ab idolothytis, de quibus Paulus ✠ 1. Cor. 10. c. idem prohibet Corinthijs 1. Corinth. 10. ✠ Sed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Hoc igitur prohibet, non quòd aut idolum, aut idolothytum sit aliquid, sed ne participes sint & socij dæmoniorum: ne loco mensæ Christi mensam comedant dæmoniorũ, & ne loco calicis Christi calicem bibant dæmoniorum: quæ omnia ducit Paulus tanquam illicita. A sanguine pariter iubentur abstinere, de quo Chrysost. Genes. 9. Hoc autem facit ideo, scilicet Deus prohibet, vt primis illis temporibus comprimat illorum impetum, & propensionẽ in homicidia. A suffocato præterea iubet abstinere, quod prohibuit Dominus Genes. 9. dicens: Carnem cum sanguine non comedetis. Quid est caro in sanguine? inquit Chrysostomus, hoc est, suffocatũ: bruti enim anima sanguis est. Et tandem à fornicatione, de qua superius diximus. Dimissi itaque discipuli profecti sunt Antiochiam, & congregata multitudine fidelium reddiderunt epistolam.

Quam cùm legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem & Silas & ipsi cùm essent prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos qui miserant illos. Visum est autem Silæ ibi remanere, Iudas autem solus abijt Ierusalem. Paulus autem & Barna-

bas

bas demorabantur Antiochiæ, docentes,& euangelizantes cum alijs pluribus verbum Domini.

Audientes igitur Antiocheni fratres missam epistolã consolationis plenam, gauisi sunt, quòd soluti essent ab oneribus legis. Quos etiam Iudas & Sylas, cùm essent prophetæ, non quòd essent futurarum rerum vates, sed sacrarum scripturarum interpretes, plurimis sermonibus confirmabant eos, ita vt nulla aduersus eos disceptatio esset super cæremonijs legis, sed rectè composita erant omnia. Ex omnibus autem illis solus Iudas reuersus est Ierusalem, morantibus hic cæteris, docentibus, & euangelizantibus.

Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non iisset cum eis in opus) non debere recipi.

Sollicitus autem Paulus, ne frustrà cum Barnaba cucurrisset, rogat eum, vt rursum visitẽt eos in quibus conuertendis tantum laborauerant. Marcus autem pœnitentia ductus, videns eos tot tantosque consecutos fuisse honores, consyderansq; apud seipsum, si illos semper fuisset secutus, particeps quoque esset honorum, sicut & laborum: persuasit itaque Barnabæ consobrino suo, vt assumeret eum secum ad labores. Quem videns Barnabas compunctum, rogat pro eo Paulum: quod renuit Paulus, dicens, vt ait Oecume. Non expedit eum qui nobiscum non est profectus ad opus Domini, simul assumere. Dissensio itaque iustitiæ erat, & non iræ. Paulus siquidem quod iustum est quærebat, Barnabas verò quod benignum est ac humanum. Marcus tamen persistebat, cũ Barnaba semper conuersatus, simul & labori atq; prædicationi accinctus: cuius tamen receptioni resistebat Paulus, non vt illum contristaret, sed ne illos sicut prius in Pamphylia deciperet.

Facta est autem dissensio, ita vt discederent ab inuicem, & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum, Paulus ve-

lus verò electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autē Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.

Dissensio autem illa animorum in neutro peccatum fuit, quæ nec odij, nec inimicitiæ erat, sed quod quisque rectum iudicabat, id procurabat: quod & Ecclesijs maximè profuit, sed etiam ipsi Marco, quæ illum promptiorē reddidit, & magis sollicitum, ac pro futuro cautiorem, cuius etiam humilitas apud Barnabam meruit ne omnino destitueretur, sed eum secum assumeret relicto Paulo, & in Cyprū nauigaret. Paulus verò assumpto Sila regressus est in Syriam, consolaturus fratres super præceptis & decretis Apostolorum & seniorū. Neque hæc discessio horū trium inimicitiæ fuit, quia Paulus multis effert laudibus ipsum Barnabā in epistolis suis, sicut & Marcū, vt Coloss. 4. Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata, si venerit ad vos, suscipite illū. Marcus igitur plurimū Pauli asperitate adiutus, priorē segnitiem studuit summa tegere diligentia. Paulus verò ad eas quas conuerterat Ecclesias prius redit visitandas, qua ad cæteras transeat.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Paulus cum Sila perueniens Derben & Lystram Tymotheum circuncidit, & per varias perambulantes ciuitates à spiritu sancto prohibiti sunt in Asia & Bithynia prædicare. Proficiscens autem Macedoniam stetit Philippis apud Lydiam mulierem. Ibi quandam puellam à Pythone liberantes virgis cæsi conijciuntur in carcerem. Nocte verò sequenti terræ motu soluuntur in carcere. Carceris custos credit & baptizatur, & sequenti die per maiores liberatur Paulus.

PEruenit autem in Derben & Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris viduæ fidelis, patre Gentili. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant & Iconio fratres. Hunc voluit Paulus secum proficisci, & assumens circuncidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis.

Scie-

Sciebant enim omnes quòd pater eius erat Gentilis.

Paulus inertiam fugiens propositum sequitur. Lycaoniam autem primùm profectus, vbi etiam plurima passus, non inane ducit reuerti Lystram, vbi Timotheum quendam reperit discipulum, filium mulieris viduæ, vel vt Græcus habet, Iudææ, quam vt ait Glos. ordi. Iudæã fuisse apparet ex hoc quod ait, patre Gentili. E Lycaonia enim Timotheus fuit, ciuis vt patet Lystrius, quem & circuncidit Apostolus, qui nullum lapidem non mouerat ad abolendam circũcisionem, & quam ex Apostolorum decretis prædicabat non obseruandam. Vnde mirũ esse videtur, quòd non solùm alios prohibet, sed etiam ipse exequitur: verùm ipse circuncidit, vt circuncisioni finem imponat. Videbat enim apud Iudæos imminens scandalum. Ne ergo per occasionem Gentium, inquit Glos. Iudæi à fide recederent, quibus vetus vmbra paulatim tollẽda erat, sicut Gentibus idololatria: ipsum circuncidit pro Iudæorum vitando scandalo, ne subitò legem Moysi videretur damnare, sed eam quasi non necessariam Gentibus non imponere, implens in seipso quod de se scribit 1. Corinth. 9. ✠ Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerẽ: ijs qui sub lege erant, quasi sub lege essem, vt eos qui sub lege erant, lucrifaceré. Hunc igitur Timotheũ Paulus secũ assumpsit itineris sociũ, quẽ Ephesinę demũ Ecclesię præfecit. ✠ 1. Cor. 9.

Cùm autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Ierosolymis. Et Ecclesia quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie. Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionẽ, vetati sunt à spiritu sancto loqui verbũ Dei in Asia. Cùm venissent aũt in Mysiam, tentabãt ire in Bithyniã & non permisit eos spiritus Iesu.

Ne superiorum decretis inuiti, & ea velut autentiqua prædicare & docere erubescamus, Paulus quæ non fecit dogmata prædicare non erubuit, sed ea etiam nomine Apostolorum & seniorum costodienda tradidit. Nõ sic impij nostræ tẽpestatis hæretici priscis sacræ scripturæ interpretibus, quãuis receptissimis deferũt, aut quid authoritatis tribuũt, sed sibi solis fidẽtes, quicqd animo

primum occurrerit, Apollinis oraculum iureiurando asserunt, & sic standum discipulis relinquunt: sed vo-
✠Psal. 1.b. lente Domino paulatim decident ✠ tanquam puluis quẽ proijcit ventus à facie terræ, iuxta Pauli dictum 2.Tim.
✠2.Tim. 2. 2.✠ Mali autẽ homines & seductores proficiẽt in peius, errantes,& in errorem mittentes. Ex doctrina autem Apostolorum & seniorũ numerus quotidie augebatur credentium ex Pauli & sociorum prædicatione. Ex doctrina horum neotericorum numerus quotidie decidit, alijs in flammas passim ruentibus, alijs in carcere morientibus, alijs ob mortis metum latentibus, & suam sectam palàm fateri atque tueri non patientibus. Cùm verò Apostoli transirent Phrygiã & Galatiam, vetiti sunt ire in Asiam minorem & Bithyniam, ne vt ait Beda, sanctum detur canibus,& cor iniquum de contẽpta prædicatione grauius iudicetur. Lyra. verò, quia tunc maior fructus imminebat alijs locis prædicãdo. Ambro. verò. de vocatio. Gẽt. lib.2.cap.1. Nõ vtiq; illis populis negata gratia, sed quã-
Phrygia. tum apparuit, retardata. Est autem Phrygia Asiæ minoris regio amplissima, à septentrione Galatiæ cõtermina, à meridie Lycaoniæ, ab oriente Cappadociam attingit. Est autem Phrygia duplex, maior scilicet inter Galatiam & Lydiam, minor Troadi superiecta, & ad Galatas vsq; ingrediens, ab austroque Mysiam maiorem, à borea Bi-
Galatia. thyniam terminum habet. Galatia autem, siue Gallogræcia, Asiæ minoris prouincia est, Bithyniæ contermina, à Gallis illuc profectis, qui à rege Bithyniæ conuocati, regnum cum eo diuiserunt, appellaueruntque Gallogræ-
Mysia. ciam. Mysia autem Phrygiæ prouincia bipartita est: maior ab austro supra sinum Adramyteum iuxta Antandrũ littoralem vrbem. Minor à Bithyniæ finibus in Proponti lem flexa, citra Prusam, quæ iuxta Olympum est, in qua mons ipse Olympus est, & plures maritimæ vrbes,
Troas. quæ etiam Aeolis postea dicta est. Troas verò ciuitas
Bithynia. est Asiæ maritima. Bithynia prouincia est Asiæ minoris, quæ & quondam Bebritia dicta est, & deinde Mygdonia. Et Phrygia maior habet ciuitatem eiusdem nominis. Non igitur totam minorem Asiam prohibuit, sed eã eius partẽ, quæ finitima est Epheso, quæ Ioãni Euãgelistæ relinquebatur conuertenda, Bithynia verò Lucæ.

Cùm

Cùm autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadē: & visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos Deus euangelizare eis. Nauigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitatis colonia. Eramus autem in hac vrbe diebus aliquot conferentes.

Cùm vetiti essent prædicare in Mysia, quæ minoris Asiæ erat, & in Bithynia, transeũtes inde venerunt Troadem, vbi visio quædam noctu illi apparuit, quæ vocaret illum in Macedoniam. Nec iam per angelum, sicut suprà, Philippus & Cornelius, sed per visionem humanum instruitur: vbi enim facilior persuasio, more magis humano, vbi verò difficilior, diuinitus fieri oportuit. Nam vbi erat prædicandũ, per somnium aduocatur: vbi prohibetur prædicare, per spiritum sanctum reuelatur. Qua visione certiores facti tendunt in Macedoniam. Græcè pro certi facti est συμβιβάζοντες, quòd cùm actiuæ sit vocis, & συμβιβάζω conijcere significet, nec adhuc certo scio, an actiua voce significet certiorem fieri, arbitror locum ita verti posse: coniectantes quòd nos vocasset Deus ad euangelizandum illis. Cum qua coniectura egressi à Troade venerunt Samothraciam, quæ est insula è regione Thraciæ portuosissima, habens ab ortu Imbrum insulam minimè obscuram, ab occasu Thasum, & ipsam nobilem & fertilem. Samos autē primùm dicta, & Thracia cognominata videtur, ad eius Sami, quæ Asiæ obiacet, differentiam: de qua Virg. Aeneid. 7. Threiciamque Samon quæ nũc Samothracia fertur. Inde venerũt Neapolim maritimam ciuitatem, quæ è Thracia Macedoniã ingredientibus primò obtingit: est autem in continente Macedoniæ contra Thasum insulam. Inde verò applicuerunt Philippos, quæ vrbs est Macedoniæ apud Strimonem fluuiũ, prius Crenides, deinde à Philippo rege Macedoniæ Philippi appellata. Ad Philippenses autem scripsit Paulus epistolam ab vrbe Roma per Epaphroditum.

Samothracia.

Samos.

Philippi.

Ad Corinthios vtranque scripsit epistolam à Philippis: priorem per Stephanam, Fortunatum, Achaicum, & Timotheum: alteram per Titum & Lucam. Macedonia regio Græciæ olim centum quinquaginta populis illustris, quam dicunt à Macedone Iouis & Thyæ filio dictã, quã nunc Albaniã dicunt, inter duo ingẽtia maria, Aegæũ ab oriẽte, Ioniũ ab occasu, in septentrionẽ ad Dalmatiã, superiorẽq; Mysiã extẽditur, ad meridiẽ Epiro clauditur. Regnum quondam Philippi patris, et Alexandri filij imperio totius orbis celebre. Hodie vniuersã Turcicæ ditionis est, sicut & aliæ Græciæ vrbes, non sine pudendo Christiani nominis decore.

Macedonia.

Die aũt sabbatorũ egressi sumus foras portã iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse, & sedẽtes loquebamur mulieribus quæ conuenerãt. Et quædã mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorũ, colens Deũ, audiuit. Cuius Dominus aperuit cor intẽdere his quæ dicebãtur à Paulo. Cũ aũt baptizata esset, & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coëgit nos.

Pro eo quod habetur, foras portã, Græca quæ nunc extãt, habet ἔξω πόλεως, id est extra ciuitatẽ, interpres legisse videtur ἔξω πόλης. i. extra portã. Nõ. n. Paulus ad orationẽ vel prædicationẽ synagogã quærit, sed vbi putat turbã concursuram, illuc vadit ad quærendũ fructũ. Diẽ sabbatorũ autẽ eligebant, vbi frequentius sperabant auditoriũ. Inuenerunt autem solas mulieres, sexũ docilem ad facienda fidei fundamenta: inter eas autem Lydia conuersa cũ tota familia Paulũ hospitio recepit. Vbi habet: vbi videbatur oratio esse: Græcè est ἐνομίζετο, quod significat & cẽseri, et solere, vel putari. Itaq; sensus esse potest, vbi futura esse censebatur oratio, vel vbi solebat esse vel fieri oratio. Vbi aliqui codices habẽt Lidda, alij Græcũ sequentes habent Lydia: & pro purpuraria Græcè est πορφυρόπωλις. i. purpuræ vel purpurarũ venditrix. Thyatiri vel Thyatireni populi sunt Thyatiræ vel Thyatirorum ciuitatis, quæ ad ortũ Phyladelphiam habet, quæ & Pelopia aliquando dicta est, vnde hæc Lydia, de qua hic sermo, purpuraria. Sed longè notior Thyatirena Christiano-

Thyatira.

ſtianorum Eccleſia inter ſeptem Eccleſias à Ioanne in Apocalypſi numerata. Et hæc eſt in regione Lydiæ, vnde magis nomen hæc mulier vendicaſſe creditur.

Factū eſt aūt euntibus nobis ad orationē, puellā quandā habentē ſpiritū Pythonē obuiare nobis, quæ quæſtū magnū præſtabat dominis ſuis diuinando. Hæc ſubſecuta Paulū & nos clamabat, dicens: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciāt vobis viā ſalutis. Hoc aūt faciebat multis diebus. Dolens autē Paulus, & conuerſus, ſpiritui dixit: † Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea. Et exijt eadē hora.

† 26. q. 2. capite. Illud quod. De conſecra. diſtin. 4. Nullus autem.

In hac ciuitate puella quædam erat Pythoniſſa, ſi probum ſit vocabulum, quæ ſpiritu Pythonico diuinando magnum quæſtum dominis ſuis conciliabat. Pythonem quidem magnum fuiſſe draconem in Delo inſula dicunt, quem iaculis ſuis confecit Apollo: quamobrem deinceps Pythius dictus eſt. Hic autem cùm diuinandi artem calleret, arte potius magica, quàm naturali ſequaces ſuos diuinos Pythonico ſpiritu actos docuit pariter artem, & nomen reliquit, quos paſsim ſcriptura Pythones vocat. Huiuſmodi autem ars talis erat apud mulierculas. Pythia enim mulier diuaricatis cruribus in Apollinis tripode ſedere ſolebat, & tunc malignus ſpiritus inferne aſcendens, per illius genitalia ventrem ingreſſus, mulierē furore replebat, quæ ſic Pythonico acta ſpiritu ſolutis crinibus debacchari ore ſpumans incipiebat, & inſaniæ verba proferre, & ſi quiſpiam occultum quid vel ablatū furto petebat, illa ſic acta reuelabat, vnde dominis ſuis quęſtum non modicum præſtabat. De qua Pythia muliere canit Virgil. Aeneid. 6. ſub nomine Cumęę Sibillæ videas ibidē. Hæc igitur ſic acta ſpiritu puella ſequebatur Paulum, enuncians ipſum eſſe ſalutis nunciū à ſummo Deo miſſum. Cū verò ſic vera loqueretur à dæmone, cur Paulus iuſsit eā tacere, nec diutius vera proferre? Hoc ideo faciebat dæmon, vt mentes hominū ad ſibi credendum alliceret, & à Paulo ſic pateretur, vt tandem veris falſa miſcendo populum ſibi credentem illuderet: nec propterea Paulus illum per mulierem amplius loqui permiſit, ſed ab ea exire compulit.

Videntes autem domini eius quia exiuit ſpes quæſtus eorum,

rum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes, et offerentes eos magistratibus, dixerũt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cùm sint Iudæi. & annunciant morem quem non licet nobis suscipere, neque facere, cùm simus Romani. Et cucurrit plebs aduersus

†2.Cor. 11.f. 1.Thess. 2.a. Philip.1.d. *eos: & magistratus sciscis tunicis eorum † iusserunt eos virgis cædi. Et cùm multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem præcipientes custodi, vt diligenter custodiret eos. Qui cùm tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.*

Ex his patet quot & quantorum malorum est lucri pecunia, cuius causa paganorum inhumanitas nõ indignũ ducebat puellam à dæmonijs agitari, & Paulum cũ Sila iniuste virgis cædi, & in carcerem trudi. Causam verò pagani prætexunt, vt putãdum est, dæmonum instinctu & suasu, quòd Paulus cum socijs rempublicam perturbarent, ita vt eos læsæ maiestatis accusarent, suadentes patriæ mores mutare velle. Vnde ciuitatis magistratus iusserunt nulla penitus facta inquisitione illos virgis cẽdi, & inde in carcerẽ conijci. Nõ. n. eos accusabãt quòd dæmonẽ eiecisset, & puellã ab eius vexatione liberasset, sed quia mores tollerẽt superstitionis Romanorũ. Verũ quoniã ex eorum incarceratione magnum futurum erat miraculum, singulari De dispensatione in interiorẽ carceris locũ conijciuntur, vinctis eorũ pedibus ad lignũ. *Media autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum: & audiebant eos qui in custodia erant. Subitò verò terræ motus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamẽta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere: æstimans fugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nil tibi mali feceris, vniuersi enim hic sumus. Petitoq; lumine introgressus est: & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes, &*

†Sup.9.a *producens eos foras, ait: Domini, † quid me oportet facere vt saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominũ Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Et locuti sunt ei verbum*

Domini

Domini cum omnibus qui erant in domo eius.

Sic Apostoli plurimis plagis acceptis ☩ ibant à con- *Sup. 5. g
spectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Domini Iesu contumeliam pati, in neruum cõijci, in interiorem trudi carcerem: nec sic dormire poterant, sed tota nocte insomnes vigilando Deum orantes ita altè laudabant, vt eos & custos carceris, & cæteri vincti audirent. Interea autem terræ motus adeò factus est magnus, vt carceris fundamenta moueret, ostia carceris aperiret, singulorũ vinctorũ vincula solueret, & carceris custodem expergefaceret. Quod tamen vincti non perceperunt, alias fugissent omnes. Experrectus igitur carceris custos, Pauli benignitatem admiratus est, qui non fugisset cùm posset, & se à cæde prohibuisset. Hunc autem custodem Oecu. ait esse Stephanam illum, de quo meminit Paulus prioris Cor. 1. dicens: Baptizaui autem & Stephanæ domum. & cap. vltimo: Nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaiæ & seq Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniã id quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt. Vnde compertum est, quòd Paulus cũ Sila & virgis cæsus, & in carcerem coniectus est: non sine fœnore tamen perpessæ ignominiæ, quoniam plurimis ad Christum conuersis, eius Ecclesiæ prima iecit & rudimenta & fundamenta. Cùm verò magis adoleuisset, ex vrbe Roma ad Philippenses tanquam iam adultos & in fide maturos scripsit epistolam. Custos igitur carcerem ingressus diuina virtute hoc factum agnoscens, procidit ad pedes Pauli & Silæ, veniam postulãs, & quid pro consequenda salute facturus esset exorans. Crede in Dominũ Iesum, ait Paulus, & saluus fies cum tota familia tua: quod & factum est.

Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum, & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò. Cumq; perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua, credens Deo. Et cùm dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos, Nunciauit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus vt dimittamini: nunc

†10.di.c. Si in adiutoriũ,

igitur exeuntes, ite in pace, Paulus autem dixit eis: †Cæsos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiciunt. Non ita, sed veniant, & ipsi nos eiciant.

Ideo custos ea vsus est in eos beneuolentia, quia hoc diuina virtute, & non maleficijs factũ cognoscebat, cùm per totam noctem eos audiuisset orantes & laudantes Deum, quod malefici facere non solent. Eductis autem in cubiculũ, apposuit eis mensam, cũ illis lætatus, quòd Paulus eũ à morte corporali & spirituali saluasset. Ideo illis gratiam habens, plagas eorum abluit, & baptizatus cum vniuersa familia misericordiã consecutus est. Facto autem die magistratus miserunt lictores ad carceris custodem, vt eos sineret abire, iam super factum certiores forsitan facti: quos tamen per se eijcere non audebant. Id quod Paulus renuit, indignũ ducẽs homines Romanos publicè cæsos indicta causa conijcere in carcerẽ, & clàm illos eijcere, nisi & ipsi illos eijciãt, qui cõmiserant iniustitiam in illos: quod & ipsi fecerũt. Vnde sequitur. *Nunciauerunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntq; audito quòd Romani essent, & venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant vt egrederentur de vrbe. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam, & visis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.*

Lictores igitur magistratibus nunciant, illos tanquam malefactores, & qui deliquerint, nolle exire, sed innocẽtes declaratos dimitti. Quorum voluntati obsequentes magistratus, veniũt ad eos, veniã precantes, quia ex passione & ignorãtia fecerũt, rogãtq; vt ex vrbe egrediantur ad vitandã seditionẽ. Egressi itaq; carcerẽ, ingrediũtur Lydię domũ, cõsolãtur socios, & vrbẽ egrediũtur.

CAPVT DE CIMVMSEPTIMVM.

Egressus Paulus Philippos venit Thessalonicam, à qua multis ad Christũ conuersis à Iudæis pellitur Beroam, vnde post multorum conuersionem exire coactus per Iudæos, relictis ibi Sila & Timotheo profectus est Athenas, ad quas Silam & Timotheum accersit. Vbi multorum confutatis superstitionibus vrbem penè totam conuertit.

Cum

CVm autem perambulassent Amphipolim & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, vbi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis de scripturis, adaperiens & insinuans, quia †Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis, & quia hic est Iesus Christus, quem ego annuncio vobis. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ: & de colentibus Gentibus multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.

†Luc. 24.c.

Egressi Apostoli Philippos ad cæteras maiores Macedoniæ ciuitates, ad quas vocabantur, pertransitis paruis accedunt. Amphipolis proximè Philippos, ad bru- Amphi-
malem iacet occasum, Athenienſium aliquādo colonia, polis.
quam Strimon fluuius ex Hæmo delapsus peninsulæ
forma cōplectitur: à quo situ vrbi postea nomē datum.
Altera eiusdem nominis est in Syria. Apollonia quidem Apollo-
ciuitas est Macedoniæ, non longe à Thessalonica. Aliæ nia.
autem eiusdem nominis sunt in Macedonia, & altera in Thessa-
Aphrica, quæ nunc vocatur Pentapolis. Thessalonica lonica.
præterea vrbs etiā Macedoniæ metropolis. In illa pius
quidam homo nomine Iason erat, qui Paulum hospitio
susceþit, apud quem diutius moratus, synagogamque
Iudæorum ingressus, Paulus in multo certamine Chri-
sti fidem docuit, insinuans de scripturis Christum oportuisse pati, & resurgere à mortuis. Insinuans dicitur Græcè παρατιθέμενος, quod Erasmus mauult interpretari, allegans. Significat autem παρατίθημι in medium affero, atque etiam allego, siue exemplum cito, & authoritatem scriptoris promo: qua significatione vtitur Atheneus. Vide Budæum in suis Commētarijs. Cui prædicationi plures crediderunt, & plurimæ nobiles mulieres. Græcè est, γυναικῶν τῶν πρώτων. i. mulieres primariæ ciuitatis.

Zelantes autem Iudæi assumentesq́ de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem, & assistentes domui Iasonis, quærebant eos producere in populum. Et cùm nō inuenissent eos, trahebant Iasonē & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hic

qui

† Ioan. 18.g.

qui vrbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Iason, † & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum. Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis, audientes hæc. Et accepta satisfactione à Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos.

Græci addunt ἀπειθοῦντες, id est, increduli, siue qui non credebant. Zelãtes autem significat inuidia & odio commotos. Iterum itaque Apostolos accusant læsæ maiestatis, & reipublicæ concitatæ. Non inueniẽtes autem illos apud Iasonem, qui illos hospitio exceperat, ipsum ad principes ciuitatis tanquam seditiosorum receptatorem cum multa vi traxerunt: quem sufficiẽti satisfactione & excusatione accepta dimiserunt indemnem. Quod autẽ dixit, assistentes domui Iasonis, Græcè est, ἐπιστάντες, quod significat vrgentes domum Iasonis, siue violentia opprimentes. Maleuoli enim præ turba domum Iasonis vrgebant, & opprimebant, quòd clàm aduenas excepisset: vnde pro suscepit, Græcè est ὑποδέδεκται, quod amplius significat, scilicet clàm, siue occultè susceperit, quos palàm excipere nõ audebat. Nam ὑπὸ, in compositione clàm vel clanculum significat: propterea in illum tam cõcitauerant ciuitatem. Quod verò dicit: accepta satisfactione à Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos: Græcè est, λαβόντες τὸ ἱκανὸν, id est, cùm satis accepissent ab Iasone, & ab alijs iudicio sistendi sponsionis, ipsos abire iusserunt. Nam ἱκανὸν λαμβάνειν, est fide iussores in sponsionem exigere & accipere: quod vulgò dicitur accipere cautionẽ ab aliquo. Est ergo sensus, quod accepta satisdatione, potius quàm satisfactione ab Iasone, id est, cùm pro Paulo & alijs satisdedisset Iason, id est, cautionem præbuisset. Alij aũt ἱκανὸν λαβόντες, cùm satis accepissent, id est, cautionẽ pro Paulo accepissent, dimiserunt eos. Ergo quod interpres vertit, accepta satisfactione, melius erat, accepta satisdatione. Et fortasse ita scripserat interpres, sed à quodam qui latinum non putabat verbum satisdatio, satisfactionem posuit. Neque enim pro Paulo satisfecit Iason, sed satisdedit, id est, vt ita loquar, seipsum cautionem dedit, promittens se satisfacturum, si opus esset.

Fratres

Fratres verò confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam Berrhœam. Qui cùm veniſſent, in ſynagogam Iudæorum introierunt. Hi autem erant nobiliores eorum qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentiliũ honeſtarum, & viri non pauci.

At cùm Paulus rurſum Iudæorum inuidia premeretur, atque concitato in eum magiſtratu res in periculo eſſent, nocte intempeſta emiſſus cũ Sila à fratribus abijt in Berrhœam, quæ eſt ciuitas Macedoniæ: in qua rurſum Iudæorum perfidia Paulus agitatus, Athenas vſque deductus eſt. Quod dicit: hi autem nobiliores, &c. Lyranus, & poſt eum Dionyſi. exponunt de Iudæis qui erãt Berrhœæ, & erãt nobiliores genere & animo, quàm hi qui erant Theſſalonicæ. Quod non videtur mihi, ſed illos referri ad fratres qui noctu Paulum à Theſſalonica dimiſerunt, vt ſit ſenſus: Hi autem fratres qui intempeſta nocte dimiſerunt Paulum & Silam Berrhœã è Theſſalonica, erant generoſiſsimi inter omnes Theſſalonicenſes, qui receperant verbum Dei cum omni alacritate, quotidie ſcrutantes ſacras ſcripturas, an ita ſe haberet, vti Paulus aſſerebat. Iam enim crediderant, volebant tamen certiſsimam à ſeipſis perſuaſionem de paſsione, morte, & reſurrectione Chriſti habere. Ex quibus multi crediderunt, etiam honeſtæ mulieres, & viri non pauci Gentilium.

Cùm autem cognouiſſent in Theſſalonica Iudæi, quia & Berrhœæ prædicatum eſt à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commouentes, & turbantes multitudinem. Statimq; tunc Paulum dimiſerunt fratres, vt iret vſq; ad mare. Silas autem & Timotheus remanſerunt ibi. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vſque ad Athenas: & accepto mãdato ab eo ad Silam & Timotheũ, vt quàm celeriter venirent ad illum: profecti ſunt.

Græca quæ nunc extant, habent ἀπὸ τῆς θεσσαλονίκης, id eſt, è Theſſalonica, vel θεσσαλονικεῖς, Theſſalonicenſes Iudæi. Ego crediderim interpretẽ legiſſe ἐν pro ἀπὸ.

Quo-

Quocunq; autem fugiebat Paulus, hunc persequebantur & Iudæi: nec eos timore mortis fugiebat, sed eorum vitans furorem, & prædicationem augere cupiens. Vbi ergo cœpit Berrhœę prædicare, Thessalonicenses Iudæi, qui eum à Thessalonica expulerant, prosequuntur vsq; Berrhœam. Quem statim fratres emiserunt, vt iret tanquam ad mare, Græcè, ὡς ἐπὶ θάλασσαν, quod Erasmus maluit vertere, velut ad mare. At hoc non significat Lucas: neq; enim id vult Paulus, quòd dimiserint Paulum fratres, vt iret tanquã ad mare, sed re vera vsq; ad mare iret. Itaq; interpres ὡς, pro ἕως, id est, vsq; vsurpauit, aut legit ἕως. Qui verò eum deducebant, comitati sunt eum vsq; Athenas: Græcè, οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν παῦλον. Est autem καθίστημι, componere, & id quod labat stabilire, ac nutantem & trepidantem confirmare: quo sensu probè hic quadrat. Nam concitata aduersus Paulum turba, dimiserunt eum vsq; ad mare. οἱ δὲ καθιστῶντες, &c. id est, Qui verò comitatu suo eum confirmabant, securitatem ei præstantes, vsq; Athenas perduxerunt. Ad quem Silas & Timotheus statim profecti sunt.

Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem. Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro per omnes dies ad eos qui audierant.

Consydera quantas habeat Paulus difficultates cum Iudæis, quocunq; pergat, & maiores, quàm apud Gentes. Iudæi enim cum ipso verberibus, Gentes verò solum verbis contendunt. Ipso igitur Athenis expectante socios, exacerbabat eũ spiritus suus, tot idola, quot nusquàm viderat, consyderans. Vbi pro irritabatur, Græcè est παρῳξύνετο, excandescebat, irritabatur, ægrescebat, exacerbatur. Non ergo ibi significat iram, sed excitationem quandam ad zelum: & quasi tabescebat ob zelum, iuxta Psal. Tabescere me fecit zelus meus. Disputabat quotidie & in synagoga, & in foro, cum oĩbus qui ipsum audierant: Vbi pro audierant, Græcè est παρατυγχάνοντες, quod significat eos qui superuenerant, aut casu atq; obiter venerant. Aut igitur interpres pro audierant, verterat, adierant, sed forte scriptoris vitio mutata est lectio

in

in audierant, aut interpres legit παρηκόοντες.

Quidam autem Epicurei & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: †*Quid vult seminiverbius hic dicere? Alij verò Nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse: quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis.*

†Dist. 43. capite. Sit rector

Athenis igitur constitutus Paulus disserit cũ Philosophis, & cũ Epicureis, præcipuè & Stoicis, alijs alia Paulo improperantibus, modò quia verbisator quidam aduenerit, modò quia nouos deos annunciaret. Athenæ autem ciuitas, ab Athena Minerua, quam Græci Athenam vocant, dicta, in Attica regione quondam muris, nauali-bus ædificijs, armis, opibus, viris, omni sapientia atque prudentia florentissima & nobilissima, & nullius indiga præconij, tanta eius superfuit claritas. Eadem nostro tẽpore parui oppiduli speciem gerit, atque in vicum quendam est redacta. Quâ verè Ouidius deplorans ait: Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ? Nam ciuitas illa olim spectabilis & inclita, à meridie Aegeo mari claditur, à septentrione Asopum habet fluuium, cuius modò sola vestigia restant, humile quoddam castellum, cum arce quondam sacra Mineruæ. Hæ sunt Athenæ, quas sapientiæ fama tot seculis celebres primùm Paulus vera sapientia illustrauit. Non Socrates, non Plato hoc dedêre lucris vrbi suæ & intelligentiæ, quod humilis, & à recenti virgarum cede madens Apostolus impartiuit. Nolim prolixius huius vrbis gymnasia prosequi, porticus, fora, theatra, templa, & castra. Velim tamen quasdã sectas interea, de quibus Lucas hîc nobis proposuit, scrutari. Harum prior est Epicureorũ, à quodã Epicuro philosopho dicta. Hic Gargeti ortus duodeuigesimo vitæ anno Athenas se contulit, cùm Xenocrates Academiam teneret, floreretque tum maximè Aristoteles in Chalcide. Laudatam itaque ab Epicuro adeò voluptatem, quæ ex veri rectiq; contemplatione oriatur: dogma tamen infame voluptatis fœdæ assertor erat, quæ ex venere, oculis, auribus, & sapore oriũtur. Ex quibus peiora scribit orta Iosephus Antic. lib. 10. cap. 14. in fine. Epicureorũ error arguitur, qui prouidentiã è vita eijciunt, & Deo regimẽ rerum

Athenæ.

rerum nolunt permittere, nec credunt vniuersitatem à beata illa & immortali essentia vel conseruari, vel gubernari, sed sine rectore & curatore mundum suopte impetu ferri asseuerant, qui si ita, vt illi autumãt, careret præside, quemadmodum naues sine gubernatoribus videmus procellis & fluctibus obrui, currusq; aurigis destitutos euerti & confringi, ita & ipse mundus perderetur immoderato impetu. Stoici verò Philosophi à Stoa porticu, vbi frequens eorum erat gymnasium, qui maximè morali philosophiæ studere solebant, ideo sapientissimi fuerũt reputari, & veritatis amicissimi, antea vocati Zenonij, à Zenone eorum primo doctore. Horum de scientia nonnulli superbientes, Paulum irridebant, dicentes: Quid nam vult hic verbisator, an nouos nobis deos annunciat? Græcè est σπερμολόγος, qui Latinè dicitur nugator, loquax, vaniloquus, blaterator, & vt Plautus ait, qui lubens verba funditat: quod ita magis propriè vertitur, quàm si dicamus, qui nouos rumores spargit in vulgus. Pro annunciator, Græcè est καταγγελεύς, quod enunciatorem magis & denunciatorem significat. Pro nouorum autem, Græcè est non καινῶν, id est, nouorum, sed ξενῶν, id est peregrinorum, vt τὸ ξένος hoc loco significet rem peregrinam, nouam & insolentem. Ita hic sumere debes noua dæmonia, non pro recens factis, sed pro nouis & inauditis. Sic sumendum est, vt paulò post sequitur: noua quædam infers auribus nostris, id est, peregrina, insolentia, inauditaque, quod Græcè Lucas dixit, ξενίζοντα γὰρ τινά. Vbi aduerte ξενίζοντα aut neutraliter sumi pro ξένα, aut vide quo alio modo intelligi possit.

Et apprehensum eum ad Areopagũ duxerũt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina. Noua enim quædam infers auribus nostris. Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. Athenienses autem omnes, & aduenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui.

Hi autem philosophi magna iactantes, Paulum ridiculum reputant. Hic autem cœlestia sola professus, crucis stultitiam prædicat. Proinde in Martio illo pagõ, qui celeber-

celeberrimus Athenis erat, frequenti auditorum corona septus, nullo sermonis fuco, sed nuda apertaque asseueratione vnum illis Deum, quem vel ignorantes colerent, ob oculos ponit. Areopagus autem duo sunt vocabula, τὸν ἄρειον πάγον, quod Erasmus malè vertit, vicum Martium, falsus verbo Latino pagus, pro Græco. Credidit enim τὸν πάγον, idem significare quod pagus Latinè: cùm πάγος Græcè collem vel rupem, & locum eminentem significat, & locum altum, mœnibus ac vallet munitũ. Et Stephanus de vrbibus τὸν ἄρειον πάγον, promontorium fuisse dicit Athenis, in quo iudicia & quæstiones rerum precipuè criminalium, deq; nece perpetrata exercebantur. Athenis duo fuerunt concilia: Alterum quotannis mutabile, quod rempublicam constituebat: alterum perpetuum, quod de cædibus iudicabat, & rebus criminalibus. Eo in loco, qui dicebatur etiam Areopagus, de quo Suidas: Vocatus est Ariopagus, quòd in rupe & edito loco situm sit illud forum: de foro causarum forensium intelligo. Arius autem siue Martius dicitur, quòd de cædibus, quibus præest Mars. De Ariopago autem, Areopagitarumque moribus si vis latius videre, lege Budæum in Pandectas. Melius ergo interpres noster Græcam vocem Ariopagum reliquit, quæ Latinis etiam inaudita non est, quàm Erasmus, qui vertit vicum Martium. Veruntamen poëtæ nomen eius loci fingunt à Marte dictum, qui ibidem adulterij cum Venere Vulcani vxore pœnas dedit. De quo ludit Manuanus lib. 1. Dionysij: Est locus insignis templo Mauortis, & alta mole abit in nubes, vbi consultare senatus sæpe solet Martis pagum dixêre, quòd illuc Mars in iudicium tractus purgauerit olim longè infame nephas, causam agnoscente deorum concilio. Areopagus.

Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos video. Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.

Constitutus Paulus coram senatu Areopagi, vt si quid afferret boni, probaretur, si quid verò mali, ab

illo puniretur. Qui igitur omnibus omnia fieri nouerat, vt omnes lucrifaceret, suam eloquentiam ad omnium mores obtemperat, dicens: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos esse video. Est autem superstitio vitium religioni oppositum secundum excessum, qua quis cultum diuinum exhibet cui non debet, vel eo modo quo non licet: quod tribus particularibus modis contingit: Vel quia honor latriæ idolo exhibetur, quomodo est idololatria. Vel quãdo loco Dei à dæmonibus petitur instructio, & hæc est diuinatio. Vel obseruantur quædam etiam à Deo ad hominis directionem instituta, aliter quàm fuerint ordinata, & sic est obseruatio, quę multas potest habere species, quas amplius declarat Augustinus de doct. Christiana. lib. 2. Et his modis Paulus vocat superstitiosos, quasi dæmones verentes omnia pro numinibus colebant, & lapides, & ligna, & bestias, & spiritus. Vnde sic ratiocinatur Paulus, quia cõtra Gentes philosophos & sapientes agit: Oportet vnum esse Deum super omnia summum, à quo omnia tanquam à prima causa pendent, & ipse à nullo. Sed nullus vestrorum deorum talis est, qui omnes esse cœperunt. Est igitur alius Deus ab illis à vobis ignotus: hunc autem annuncio vobis. Neque itaque vobis quid peregrinum aut nouum prædico. Rationes autem diuersas afferunt, quamobrem Athenienses cuidam aræ inscripserunt Ignoto Deo. Duas enim rationes adducit Clarius: Aiunt enim inquit, Philippidem quendam missum ab Atheniẽsibus ad Lacedæmonios pro mutuanda societate, cùm Persæ in Græciam mouerent exercitum. Huic in Parthenio monte occurrisse spectrum quoddam, Panis scilicet illius Gentilium dei, qui quereretur se ab Atheniensibus negligi, cæteros autem deos coli, & pollicitus est se opitulaturum. Parta ergo victoria, huic templum erexerunt, & aram construxerunt. Et cauentes ne tale quid in posterũ paterẽtur, prætermisso à se aliquo deo, quem ignorarent, erexerunt & aram illâ illi, inscribẽtes, Ignoto Deo. Alij verò sic dicunt, inuasisse olim Athenienses pestilentiam, quæ ita illos incenderet, vt ne tenuissima quidem lintea ferre possent. Cùm autem cõsueto[s] deos colerent & orarent, nihil iuuabantur: cogitauerunt ergo esse

Superstitio.

go esse aliquem fortasse Deum, quem ipsi inhonorum reliquissent, qui pestilentiam illam immisisset: quocirca ædificato altari, & inscripto, Ignoto Deo, & immolantes ei, continuò liberati sunt. Ferũt autem totam aræ inscriptionem hanc fuisse: Dijs Asiæ, & Europæ, & Libyæ, Deo ignoto & peregrino. Aliam rationem affert Comestor in Act. Aposto. Die enim Dominicæ passionis solis insuetam eclipsim videntes totam tenebris terram obscurantem, & huius causam non inuenientes, ad hoc inducti dixerunt Deum naturæ pati. Construamus inquiunt, illi aram, & dedicemus: quod & fecerunt, inscribentes illi, Ignoto Deo. De eadem eclipsi scribit beatus Dionysius ad Apollophanem.

†*Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dominus, nõ in manufactis tẽplis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitq; ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ.* †145.a. Sup.7.f. & 14.c.

Minorem subsumit Paulus, dicens: Is Deus quem ignoratis, cæteros deos in hoc excellit, quia mundum & omnia quæ in mũdo sunt, fecit, & gubernat, & cùm vniuersæ terræ sit Dominus, sed & cœlos regat & dirigat, non est existimandus concludi in aliquo loco, aut tẽplis circunscribi, ita quòd non sit in alio loco, sicut dij vestri, aut humanis fabricari manibus, aut sacrificijs coli, quasi indigens aliquo, qui omnia cõtinet, & à nullo continetur, quem cœli capere nõ possunt, cuius ditioni sunt omnia, qui dat omnibus & vitam, motum, respirationẽ, quæ non daret, nisi haberet: quod non faciunt dij vestri: nullus ergo deorum vestrorum est illi æquiparandus. Quod autem non habitet in templis manufactis, piè intelligendum est. Dicere enim nephas est, quòd in templis nõ habitet, cùm sit vbiq; præsens. Legitur aũt templa sibi ædificari iussisse, & templa domum suam appellet: & Ezech. 43. dicat: Maiestas Dñi ingressa est tẽplum: quæ nõ magis ingredi templũ potest, quàm habitare vel replere. Intelligendũ est ergo, quòd nõ habitat localiter ac circunscriptiuè, sic vt si in templo sit, alibi non sit, Vel

intellige, quòd non in templis habitat, nec humanis manibus colitur, tanquam indigens aliquo, vtpote quòd domo egeat pro mansione, aut adoratione nostra vel oblatione, quæ partim nanuum complicatione, partim sacrificio fit, opus habeat. Ideoque tractim legendum est: non in manu factis templis habitat, indigens aliquo: aut humanis colitur manibus, indigens aliquo, cùm ipse omnibus det vitã,& inspirationem, & omnia. Vbi interpres pro, & omnia, legisse videtur καὶ πάντα: quum tamen Græci codices qui nunc extant, habeant κατὰ πάντα, id est, per omnia. Inde Chrysosto. interpretatur non per omnia, sed omnia, dicens duas conjecturas Deitatis. Ostendit & quòd ipse nullo egeat, & quòd omnia cunctis suppeditet, qui etiam fecit ex vno omne genus hominum, &c. Græci codices qui nunc extant, habent ἄιματος, id est, vno sanguine, quod interpres non legit, & sensus esset, ex vno sanguine, id est, ex vno homine, scilicet Adam.

†23.q.1. ca.2.§.1. b 26.7. Obseruetur. †Isaiæ. 40.g.

Definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. † *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum poëtarum dixerunt: ipsius enim & genus sumus.* † *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile.*

Cumque Deus Ille summus totum genus humanum ex vno homine per generationis continuationem multiplicarit, constituit terminos eius, limitauit vniuersæ terræ possessiones & regiones, distribuit cuique regioni portiones, quas coleret, & habitaret, præscripsitq; cuiusque vitæ spacia, quæ nemo posset sibi prorogare, quæque præterri non poterunt, vt eum cognoscant, requirant, & præcentur, & eum per amorem attrectent, si forte attrectent eum, aut inueniant eum. Vbi pro attrectent, Græcè est ψηλαφήσειαν. ψηλαφίω autem & palpare significat, & obscura vestigare. Cumque Deus palpabilis non sit, neque attrectabilis, quatenus Deus, mihi videtur hic ψηλαφᾶν pro obscura vestigare sumi

posse,

posse, vt sit sensus : vt quærant eum, si fortè obscuram & incognitam eius naturam inuestigare possint & inuenire, quomodo mortalis animus ad Dei notionem accedere potest: quamuis non longè sit ab vnoquoq; nostrum. Quia dixerat Deum non habitare in templis manu factis, ne fortè putaremus incircumscriptibilem eius naturam, ad eam non posse nos attingere & peruenire, subdidit: Non longè abest ab vnoquoque nostrum. Per ipsum enim viuimus, & mouemur, & sumus: quia ipse in nobis est, nos viuificans, & viuos ad operationem mouens, ac omnino esse, quod aiunt, & naturam nobis suppeditans. Quod autem subdit Paulus: Sicut quidam poëtarum dixerunt: sensum poëtæ Arati Phenomenis, at non verba reddidit. Nec enim verba eius naturam carminis respiunt hoc in loco. Aratus autem non planè dixit, quemadmodum Paulus, sed quòd Iouis ac Dei plenæ sunt viæ omnes, omnia hominum fora, & mare, & portus. Alterum autem hemistichium, quod sequitur: ipsius enim & genus sumus: verum hemistichium est Arati, initium quinti carminis, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: genus autem Dei sumus: non quod ad carnem aut corpus attinet, sed quod ad animum, secundum quem in genere dicitur de homine: ✠ ad imaginem & similitudinem suam creauit illum Deus. Genus ergo cùm simus Dei, &c. Græcè, γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ θεοῦ, οὐκ ὀφείλομεν νομίζειν χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον, id est, Genus itaque cùm simus Dei, pntare non debemus auro, aut argento, aut lapidi, quæ sunt sculpturæ hominum arte & inuentione fabrefactæ, numen ac Deum esse simile. χαράγματι enim puto appositiuè referri ad tria illa, auro, argento, & lapidi, vt etiam hoc modo vertere possis: auro, aut argẽto, aut lapidi hominum arte & inuentione sculptis & fabrefactis. *Gen. 1. d

Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitãs eum à mortuis.

Despiciens Græcè dicitur ὑπεριδὼν, Aoriston participium, quod meo iudicio verti posset: Et tempora huius ignorantiæ cùm dissimulari Deus, ac quasi per connuentiam transmiserit, nunc annunciat. Fiduciam enim illis ingenerat, ne ob præteritam idololatriam animum despondeant, excusans eos, quòd per ignorantiam peccauerint, cuius rationem non habiturum Deum allerit, modò pœnitentiam agant: ad quam inuitat futuri iudicij mentione facta, quod per virum fore dicit, quē Deus definiuit, Christum scilicet, quem à mortuis suscitauerit, fide omnibus præstita, quotquot eam volunt apprehendere. Decreuit enim orbem terræ iudicare per eum, quem vobis prædico, cuius rei hanc Deus fidem facit, quòd eum à mortuis suscitauerit.

Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cū eis.

Cùm audirent Athenienses Deum esse spiritum, & mente ac corde spiritualiter coli debere, & honorari, cuius gloria iam ad nos proximauerit, quem per filium suū annunciauit, & quam, si consequi velimus, in melius vitam commutemus, in quibus prædicandis ipse filius occisus est, & resurrexit. Vbi verò resurrectionem adiecisset Christi, ex consequenti mortuorum resurrectionem possibilem intellexerūt, alij eum ridebant, alij eum rursus audire constituerunt, quasi hoc prorsus impossibile, & æquè ac mundum creare difficile. Quibus tamē quidam crediderunt, inter quos fuit Dionysius Areopagita. Hic est cuius extant libri de cœlesti Hierarchia, & ecclesiastica, de diuinis nominibus, & mystica theologia, & alij nonnulli, quicquid dicant Valla & Erasmus. Hic autem apud Athenienses nequaquam parui nominis erat. Quæ autem dignitas Areopagitarum esset, vide Budæum in Pandectas.

CAPVT

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Paulus ab Athenis egressus, Corinthum veniens, ab Aquila & Prisca benignè exceptus est: & cùm illic multas à Iudæis pateretur calumnias, per visum intellexit multum ibi conuertendum populum: ibidem tamen à Iudæis apud iudicem accusatus venit Ephesum, & inde Cæsaream, & postea Antiochiam. Apollo autem Iudæus quidam vir doctus venit Ephesum, qui conuersus conuincebat Iudæos, ostendens per scripturas Christum esse verum Messiam.

POsthæc egressus Paulus ab Athenis, venit Corinthum: & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius, (eo quòd præcepisset Claudius discedere Iudæos à Roma) accessit ad eos. Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erat autem scenofactoriæ artis) & disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponēs nomen Domini Iesu, suadebatq; Iudæis & Græcis.

Paulus inde venit Corinthum, olim Romanam coloniam, quæ adeò quondam celebris fuit, vt M. Cicero pro Pompeio totius eam Græciæ lumen appellauerit. In ea autem Paulus sesquianno prædicauit, donec Iudæorum inuidia, & varijs agitatus calumnijs eam reliquerit. Corinthi Paulus hospites, qui eum benignè acceperunt hospitio, reperit, Aquilam Iudæum, & Priscillam vxorem, quos Claudius imperator cũ cæteris Iudæis à Roma expulerat. Græcè, διὰ τὸ διατεταχέναι, id est, eo quòd edixerat, siue statuerat. Id enim διατάττω significat, ne simplex præceptũ intelligas. De hoc Claudij edicto varij varias scribunt causas. Suetonius eum asserit Iudæos ob tumultus, quos assiduè in ciues excitabant, Roma expulisse, impulsore Christo. Vnde Beda: Quòd vtrum contra Christum tumultuantes Iudæos coerceri & comprimi iusserit, an etiam Christianos simul velut cognatæ religionis homines voluerit expelli, nequaquã discernitur. Comestor verò dicit Claudium Iudæos ex-

puliſſe,eo quòd vxorem eius Agrippinam præ nimia familiaritate,quam habebat cum eis,adeò traxerant ad ritus ſuos,vt iam Iudaizaret. Aquilæ duo fuerunt, vterq; Ponticus genere, ſed alter quidem Iudæus, cuius hic Lucas,& Paulus Roma.vltimo meminit. Alter Proſelytus qui vetus inſtrumentum poſt 70.Interpretes ex Hebræo in Græcam linguam conuertit, de quo Euſebius libr.5.cap. 8. Erant autem ſcenofactoriæ artis. Græcè, ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην,id eſt,erant tabernaculorum artifices, ſiue tentoriorum. σκηνὴ Græcè, tabernacula dicuntur. Diſputabat autem ibidem cum Iudæis & Græcis,perſuadens ex ſcripturis ſacris, quoniam Chriſtus iamdudum expectatus venerat.

Cùm veniſſent autem de Macedonia Silas & Timotheus, inſtabat verbo Paulus,teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum Ieſum. Contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos: Sanguis veſter †Sup.13.f *ſuper caput veſtrum, mundus ego: † ex hoc ad Gentes vadam.*

Paulus ſemper prædicationi inſiſtebat, teſtimonia de Chriſto adducens. Græca quæ nunc extant, ſecus legunt, ſcilicet συνείχετο τῷ πνεύματι, id eſt,continebatur à ſpiritu,vel coarctabatur ſpiritu,videns ſcilicet Iudæos perſtare incredulos: aut continebatur à ſpiritu, ne inde diſcederet, quemadmodum paulo poſt ſcribit. Cùm itaque Paulus hic ſolus eſſet, Dei verbum annunciabat, non obſtantibus Iudæis. Aduenientibus autem Sila & Timotheo, cœpit inſtantius prædicare, etiam teſtimonijs ſcripturæ & prophetarum prædicationem ſuã confirmans,vel etiam miraculis, donec Iudæorum in Chriſtum blaſphemijs iuſſus ſit vrbem egredi, & in ſuburbijs apud quendam nomine Titum Iuſtum diuerſari. Exiens autem dixit illis: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum:id eſt,Peccatum veſtrũ capiti veſtro ſit,vosq; ſoli pœnas eius luetis: quia per me non ſtetit, quo minus ad meliorẽ frugẽ rediretis, & crederetis. Propterea ſubdit: Mũdus ego,ex hoc ad Gẽtes vadã,id eſt,innoxius poſthac ero,ſi vobis relictis, qui verbũ Dei reijcitis,ad Gẽtes tranſeo. Sic & Ezech.33.cap. ac ſi diceret; Quicunq;

à Chri-

à Christo, qui vita est, desecerit, inquit Clarius, ipse se interficere videtur, à vita ad mortem transiens, A sanguine suũ quodãmodo effundendo, se ipse interficit. quasi diceret: vosipsos incredulitate iugulatis, huius facti vosipsi causam subite, cùm ego fecerim quod in me erat, & inde culpa caream. Et hæc dicens, vestimenta sua excussit, vt non verbo solùm, sed & opere terreret eos. Adeoque illud dixisse videtur, illos excitandi gratia.

Et migrans inde, intrauit in domum cuiusdam nomine Titi Iusti, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta synagogæ. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

Quidam dicunt hunc Titum non fuisse vocatũ, sed Iustum, hoc autem nomen à Latinis additũ, quo Græci carent. De quo Beda. Aut proprium nomẽ viro fuit, aut merito iustitiæ sic cognominatus est. Non fuit hic Titus discipulus Pauli, ad quem scripsit epistolam, & Cretæ episcopum ordinauit, cum quo & Barnabas ascendens Ierosolymam, contulit euangeliũ cum Apostolis, Galat. 2. Apud illum autem Paulus per annum cum dimidio mansit, & hunc Crispum, pluresque alios ad synagogam venientes ad Christum conuertit, & baptizauit per se vel discipulos suos, vt 1. Corinth. 1.

Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas: propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi vt noceat: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei.

Siue autem per somnium, siue vigilans Iesum viderit, nocte tamen vidit: sed hoc magis videtur per somnium. Vnde 1. Cor. 9. ait: Nónne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Vbi de hac visione videtur illis dicere, quam apud eos viderit: vel fortè de prima, de qua suprà cap. 9. Quod autem dicit: Nemo apponetur tibi, vt noceat: & Græcè pro apponetur, est ἐπιβήσεται, Significat autem ἐπιτίθημαι, irruo & inuado. Itaque sensus esse potest: Nemo in te irruet, aut nemo te inuadet, vt tibi noceat, siue vt te malè habeat: id enim significat verbum

bum κακῶσαι. Quoniam Paulus iam fugam tentabat, fortasse apparuit illi CHRISTVS confortās eum, quia nihil erat hic passurus, sed multum populum cōuersurus. *Gallione autem procunsule Achaiæ insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Siquidem esset iniquum aliquid aut facinus peßimum, ô verè Iudæi, rectè vos sustinerem, si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus legis vestræ, vosipsi videritis: iudex ego horum nolo esse. Et minauit eos à tribunali. Apprehendentes autem omnes Sosthenē principē synagogæ, percutiebant eū ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.*

Volente Deo, vbi frugem multam videbat futuram, diutius manebat Paulus. Māsit itaq; Corinthi annū integrum, & sex menses, quibus quoad sufficiebat lucratū, aggrediuntur Iudæi pro more, adducētes eum ad Gallionē, qui tunc Achaiæ proconsulem agebat. Huius statim patuit in his prudentia Gallionis, qui non dixit, nō est mihi curæ negociū vestrū: sed, si eū iniustitię vel alius facinoris grauis accusaretis, rectè vos sustinerē. Vbi pro rectè, Græcè est κατὰ λόγον, quod pro ratione, siue meritò significat. q. diceret: meritò vos sustinerē. Verùm cū de verbo & nominibus vestræ legis sit quęstio, nō mea interest, sed vestra. Quibus dictis Iudæo, à suo abegit tribunali. Hac aūt cōtumelia cōfusi, Sosthenē archisynagogū corā Galliōe vexabāt, indiscretè quasi furore acti: hic aūt patiēter tollerauit, à Paulo persecutiones sustinēdas esse sufficiēter edoct⁹. Quæ vidēs iudex, illis modestior tacuit, et quæ æquitatis erāt leui sentētia pēsauit. *Paulus verò cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, †qui sibi totonderat in Cēchræis caput, habebat enim votum, deuenitq; Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis vt ampliori tempore maneret, non consensit, sed valefaciens, & dicēs: iterum reuertar ad vos Deo volente: profectus est ab Epheso.*

†Nu. 6. c
Inf. 21. b.

Paulus

Paulus tandem reliquit Corinthum: profecturus Syriam, prius peruenit Ephesum, ducens secum Aquilam & Priscillam. At cùm egrederetur Corinthum, in Cenchræis portu Corinthiorum caput rasit, ex voto iuxta legem Nazaræorum, de qua Nume. 6. quam prius vouerat. Sciens autem eam non amplius obligare, rasit Cæsariem, & eam dedit igni. Græcè est, κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν κεγχρεαῖς. Est autem ambiguũ an κειράμενος referatur ad Paulum, an ad Aquilam: vtrouis enim referri potest. κεγχρεαὶ aut portus est, ac naualis statio Corinthiorum, ex qua Phœbe Ecclesiæ Dei Cenchrensis ministra erat. de qua Roman. 16. capite. Ephesi iterum cum Iudæis disputauit, sed etiam rogatus noluit ibi diutius remanere, cùm festinaret ad festum in Ierusalem. Vnde Græci codices addunt: Oportet omnino me festum, quod instat, agere in Ierusalem: sed iterum reuertar ad vos Deo volente. Et tũc soluit Epheso, quæ est vrbs in pulcherrimo sinu posita, longè omnium vrbium Ionicarum clarissima, & Asiæ olim lumen dicta. Vrbis splendorem situs auxit: primum oppidorum frequentia circunseptus, quorũ omnis olim Asiatica claritas fuit. A sinistris Meandrus fluuius fluit, à Phrygia exortus, et per Cariã in Aegeum mare effluit. A dextris Caistrus Asiaticarũ opum vector, à Lydia veniens. Ephesi præterea à Dianæ tẽplo vsque adeò aucta est fama per orbẽ, vt cùm 12. vrbes Ionia aliquando teneret, omniũ tamen præcipua habita est Ephesus. Nec aliud opulentius templũ aut ornatius creditum aut spectatum est per Asiam, quàm Dianæ Ephesinæ templũ: cuius lõgitudo 425 pedũ, latitudo 220. erat, colũnę 127. à singulis regibus Asiæ dicatæ. Hoc aũt. 220. annis à tota Asia factum ferebatur. Iuxta templum Asylum erat libertatis inuiolatæ, ad stadij spacium ab Alexandro extensum. Vnde nec mirum, si templa Christiana immunitate gaudeãt, sicut apud Israëlitas ciuitates refugij. Hoc verò eodẽ cõflagrauit templum Ephesi, quo natus est Alexander 353. ante Christum natum. Vnde Egesias Magnesius ioco dixit, Dianã dum parturiret Olympias, Alexandrum adeò fuisse occupatum, vt templum suum ab igne defendere non potuerit.

Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit Ecclesiam, & de-

& descendit Antiochiam. Et facto ibi aliquanto tempore, profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

Ad quam vero Cæsaream Paulus ab Epheso venerit, multi multa dicunt. Verùm Beda Cæsaream Cappadociæ intelligit, à qua in Antiochiam Pisidiæ descendit. Nondũ enim in Syriam Phœnicis aduenerat. Hæc quondam à Mosoe filio Iaphet Mosacha dicta, pòst à Cæsare Augusto Cæsarea dicta, de qua sup. Et itidem de Antiochia Pisidiæ, quæ prius Paulo venienti ab Epheso occurrebant, quàm Cæsarea, vel Philippi, vel Palæstinę, aut etiam Antiochia Syriæ. Nondum, inquit Rabanus, in Syriam Phœnicis venerat, à qua longè distabat: inter quas mediæ erant Phrygia & Galatia, quas Paulus transiens illustrabat, confirmans discipulos quos prius conuerterat, vt patuit suprà cap. 16.

Iudæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus natione, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu, scies tantùm baptisma Ioannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cùm audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini.

Græcè est ἀπολλὼς, quartæ inflexionis. Hic autem Apollos, vt recitat Oecumenius, fertur Corinthiorũ fuisse episcopus, ob id fortasse, quod Paulus ad Corinthios ait: Ego plantaui, Apollo rigauit. Hic si ad baptisma Ioannis, inquit Chrysost. quomodo spiritu feruebat? nondũ enim datus erat sic spiritus. Si autẽ qui post illum opus habuerunt baptismate Christi, multo magis ille. Verissimile est, inquit Oecume. & hunc baptizatum fuisse. Nam etsi qui discipuli Ioannis fuerãt, accedentes ad fidem, etsi baptisma Ioannis susceperant, rursum baptizabantur, oportebat quoque discipulos & hoc facere.

Cùm autem vellet ire Achaiã, exhortati fratres, scripserunt discipulis, vt susciperent eũ. Qui cùm veniisset, contulit multum his qui crediderunt. Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per scripturas esse Christum, Iesum.

Trahe-

Trahebat enim illum spiritus in Achaiã, vbi erat Corinthus, cuius postea factus est episcopus. Vbi vehementer Iudæos reuincebat, hisque multum profuit credentibus per gratiam. Hoc est ergo quod eisdẽ Achaicis Apostolus scribit 1. Corinth. 3. ☼ Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Cum Iudæis itaque disputans, ostendit per scripturas ab illis receptas Christum esse Iesum illũ, ac Messiã in lege promissum. ☼1. Cor. 3.b.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Paulus reuersus Ephesum quosdam Ioannis discipulos baptismo Iesu Christi baptizauit, qui post manus impositionem spiritum sanctum receperũt. Inde per tres menses in synagoga, & per biennium in schola cuiusdam tyranni disputauit, signa faciens. Filij autem Sceuæ principis sacerdotum tentantes in nomine Iesu eijcere dæmonia, vulnerati sunt à dæmoniaco, vnde plerique combusserunt libros superstitiosos. Tandem quidam Demetrius faber seditionem in Paulum mouit, quam Alexander vix sedare potuit.

FActũ est autẽ cùm Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos, dixitq; ad eos: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si spiritus sanctus est, audiuimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: †Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. †Mat.3.e Marc.1.a. Luc.3.c. Ioan.1.d. Sup.1.a. 2.a.12.c.

Egressus Paulus Ephesum fratres in superioribus partibus Asiæ, Phrygię scilicet & Galatię, reuersus est Ephesum, cùm iam Apollo relicta Epheso esset Corinthi. Inuentis autem Ephesi discipulis Ioannis, Paulus petijt ab eis: Si post baptisma per manus impositionem spiritum sanctum accepissent. Vt autem Chryso. ait, iã patet quòd in Christum non perfectè credidissent, ex eo quod Ioannes dixerat: Vt credant in illum qui post ipsum venturus erat. Et non dixit: Nihil est baptisma Ioannis: sed imperfe-

perfectum. Et neque hoc addidit simpliciter, sed vt doceat illos, ac persuadeat in nomine Iesu baptizari oportere. In cuius baptismo per Pauli manus impositionem spiritũ sanctũ efficaciter acceperunt: quod linguarũ locutione apparuit. Veruntamẽ si qui Ioannis baptismo baptizati erant, authore Paulo rebaptizati sunt, & verus baptismus iterari non potest, indubiũ est Ioannis baptisma non fuisse verũ atq; perfectum. Quod cum Cypriano, Chrysostomo, Hieronymo, & Augustino, ac Bedæ, & pene omnibus doctoribus visum sit, miror stultam quorundã peruicaciã, qui contendunt baptisma Ioannis tam fuisse verum atq; perfectum, quàm Apostolorum. Verũ vt argumentum fugiant de rebaptizatis, aiunt baptizari baptismo Ioannis nihil aliud esse, quàm instrui doctrina illius: quæ cũ perfecta non esset, baptizari eos iussit Paulus in nomine Domini Iesu. i. amplius & perfectius instrui in doctrina Christi. Sed hæc mera commenta, quæ apertam vim scripturæ faciunt. Miror inquam, quomodo sibi permittant, catholicos verò non ferant vllam ex antiquissimis patribus scripturæ expositionem afferre, textum ex solo textu exponi volentes.

†De consecr. dist. 4. cap. A quodam. Sup. 2. a. &. 4. f.

His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. † Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit spiritus sanctus super eos: & loquebãtur linguis, & prophetabant. Erant autem omnes viri ferè duodecim.

Audita igitur Ioãnis baptismi imperfectione, baptizari voluerunt in nomine Dñi Iesu, ac manuũ Pauli impositione spiritũ sanctũ argumẽto sensibilis gratiæ acceperunt. Et vt ait Oecumenius, vnus quidã Persarũ lingua protinus loquebatur, alter Romanorũ, tertius Indorum, & alius similiter alia quadã, & oẽs omnibus. Nec solùm linguis loquebãtur, sed & prophetabãt, hoc est, docebãt, vel etiã futura prẽsagiebãt, et ea annunciabãt audiẽtibus. Hic repletur duodenarius discipulorum numerus, qui si per denariũ ducatur, resultabit numerus 120. discipulorũ, q̃ repleti sunt in die Pẽtecostes. de quibus suprà ca. 2. sed vnus in Ierusalẽ Iudęorũ metropoli, alter in Ephesо præcipua vrbe Græcorum, vt ostẽdat tam Iudæos, quàm Gẽtiles spiritu sancto repleri, si maneant in fide vnitate.

Intro-

Introgressus aũt synagogam cum fiducia, loquebatur per tres menses, disputans & suadens de regno Dei. Cùm autẽ quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viã Domini coram multitudine, discedens ab eis segregauit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennium, ita vt omnes qui habitant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles.

In quacunq; ciuitatem ingressus fuerit Paulus, reperit Iudæos dispersos, qui illi semper contradicerent: quod illi continua fuit exercitationis occasio. Ingressus igitur synagogam Iudæorũ in Epheso, per trimestre libere nemine contradicente prædicabat non de fabulis, aut inutilibus rebus, sed de regno Dei, scilicet æterna beatitudine, & via perueniendi ad eam. Credentibus autem Gentibus plurimis, quidam indurati hanc viam ad vitam æternam difficilem videntes, resiliunt, huic viæ maledicentes. Hanc viam, inquit Oecumenius, Christum dicit, aut veram eius fidem. Hæc enim via est, quæ ducit ad regnũ cœlorum. In quo tales se monstrant reprobos, qui tanquam petræ pro nihilo semen iactum duxerunt, quia nõ habebant humorem, ideo ab illis Paulus discedens, segregauit veros discipulos in scholam cuiusdã principis. In quo nos docet, vt ab ijs qui conuicia iactant in filium Dei & doctrinam eius, segregentur veri Christiani verã doctrinam sectantes, ne verbis hæreticorum inficiantur. Quis autem fuerit hic tyrannus, certi nihil inuenitur. Cùm autem tyrannus olim in bonam partem sæpius pro dignitate, vt ait Rabanus, diceretur, & de regibus ac alijs potentibus ac fortibus dominis, Esther 6. Primus de regijs principibus ac tyrãnis teneat equum eius. Et Dan. 1. Vt introduceret de filijs Israël, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula. Et Virg. Pars mihi pacis erit dextram tenuisse tyranni. Putarim magnatem aliquem, & ex potentioribus ciuitatis, quem tyrannum veteri appellatione nuncupat, scholam aliquã secessus gratia, in qua feriaretur, ædificasse. Hanc autem prædicationem per duos annos continuauit, ex quo fama eius per totam Asiam spargeretur, & bona pars tam Iudæorum quàm Græcorum crederet verbo Domini.

Virtu-

Virtutesq; non modicas quaslibet faciebat Deus per manũ Pauli, ita etiam vt super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

Virtutes non vulgares ædebat Paulus super infirmos languentes, quod, patet, cùm mitteret ad eos vel pallũ, sudarium, aut semicinctium, per eorum tactum sanabantur. Sudaria enim & semicinctia Oecumenius existimat esse linea. Attamen sudaria inquit, super caput tenduntur: semicinctia verò in manibus tenent, qui ὠράρια gestare non possunt: veluti sunt, qui consulares gestant stolas, aut γνόφια, ad abstergendos à facie humores, nẽpe sudores, saliuam, lachrymas, & similia. Et horũ virtute Pauli indumentorum tactus non languores modò & morbi ab ægrotis recedebant, sed & mali spiritus ab obsessis egrediebantur.

Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos qui habebant spiritus malos nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum quẽ Paulus prædicat. Erant autem cuiusdam Sceuæ Iudæi principis sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant. Respondẽs autem spiritus nequam, dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.

In hoc quod ait, tentauerũt, docet eos nõ veros fuisse exorcistas Christo credentes, sed fortè Salomonis artem Christi nomini applicare tentabant. Salomon enim, vt ait Ioseph. lib. 8. cap. 2. Antiq. Iudaic. eam artem diuinitus consecutus est, ad vtilitatem & medelam hominũ, quæ aduersus dæmones est efficax. Incantationes enim composuit, quibus morbi pelluntur, & coniurationum modos scriptos reliquit, quibus credentes dæmones ita fugantur, vt in posterum nunquam reuerti audeant: atque hoc sanationis genus nunc vsque plurimum apud nostrates pollet. Et sequitur: Modus verò curationis erat hic: Admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radicis species à Salomone iudicatæ,

ad eius

ad eius olfactum per nasum extrahebatur dæmonium, & collapso mox homine, adiurabat id, ne amplius rediret. Hi itaque filij Sceuæ tanquam exorcistæ existimantes Paulum inuocato tamen Christi nomine ad curandos morbos dæmonesque fugandos his artibus ac incantationibus vti, hoc ipsum tentantes, à dæmoniaco vexati sunt & vulnerati. Quod autem dicit, dominatus amborum, interpres Græcè legisse videtur, κατακυριεύων ἀμφοῖν, id est, amborum. At Græca quæ nunc extant, habẽt pro ἀμφοῖν, ἄντων, id est, & dominatus eis: quæ videtur aptior lectio. Non enim de duobus, sed de septem Sceuę filijs agitur exorcistis, qui hæc tentabant. Quibus dæmõ per dæmoniacum respondit: Non vos creditis, sed hoc nominè abutentes hæc verba fingitis: & vt ait Chrysost. Non estis huius nominis præcones, sed mei inquit dæmon, estis. Iesum cognosco. Confundamini igitur vos, qui hunc ignoratis, & melius me scire deberetis. Paulum scio huius verum esse præconem. Videt inquit Chryso. gratiores esse dæmones, quàm Iudæos, & non audentes contradicere, neque accusare vel Christum, vel Apostolos. Omnino enim formidarunt & timuerunt sanctos illos, quòd tantam habuerint potestatem.

Hoc autem notum factum est omnibus Iudæis atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi, & cecidit timor super omnes illos, & magnificabant nomen Domini Iesu. † *Multiq; credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus, & computatis precijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium. Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur.*

† De pœ. dist. 1. ca. Voluissent. Mar. 3. b.

Cùm verò hoc factum omnibus Ephesijs, tam Gentibus quàm Iudæis innotuerit, mirum est cur non omnes conuersi sint. Ad quod Chrysosto. respondet: Ne mireris. Malitiæ enim nihil est quod persuadeat: nempe quia illi exorcistæ per irrisionem hæc fecerunt, ideo & puniti sunt. Verũ ad eorum malum cõuersi sunt plurimi, confitentes peccata sua, & annunciantes actus suos. Vel ex hoc loco manifestè apparet, quòd non sufficit confessio

hodiernorum hæreticorũ, qui putant satis esse si te peccatorem agnoscas, nihilque boni in te, prout ex te, fore. Quòd enim nominatim peccata confitenda sint, præsertim criminalia, patet ex hoc quod ad confessionis nomẽ adiecit, annunciantes actus suos. Oecumenius inquit: Oportet quenque fidelem dicere peccata sua, ad demittere seipsum coarguẽdo, vt iustificetur: iuxta illud Isa. ✠Isa. 43. 43. secundum 70. Inter. ✠ Dic tu primùm iniquitates tuas, vt iustificeris. secũdum Hebr. autem: Narra si quid habes, vt, iustificeris. Sed etiam à Christo videmus eam *Ioã. 20. institutam Ioan. 20. ✠ Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt cuius quidẽ potestatis executio, præsertim quantum ad retentionem peccatorum, sine particulari criminum cognitione retineri nequit, aut etiam exerceri, vt satis apertè colligitur, quòd ex vsus cla uiũ necessitate necessitas requiritur vocalis confessionis. Nec habent quod causentur hanc confessionẽ publicã debere intelligi, quũ publica immediatè sequatur, his verbis: multi autem ex eis qui fuerãt curiosa sectati, contulerunt libros: hoc est, qui magicam artem publicè exercebant, magicos libros palàm exusserunt, libros inquã veteris iustitiæ, & magicæ superstitionis plenos, nec paruo precio comparatos, licet pleriq; ibi adessent, qui eos sibi comparare, vellent, flammis tradere non incommodum duxerunt: qui tamẽ quinquaginta milium denariorum æstimabãtur. Quæ summa Budæo teste valet quinque milia aureorum nostrorum coronatorum. Ac vel ex hoc loco liquet, non esse rem nouam impios libros publicè exuri.

His autem expletis proposuit Paulus in spiritu transita Macedonia & Achaia ire Ierosolimam, dicens: Postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

Expleto igitur biennio, vel etiam plus minus triẽnio, magna vrbis pars spreta Diana, & reiecto idolorũ cultu, Paulus aliò tendere retia parat: atque ab Asia, vbi est Ephesus, in Europam, vbi est Macedonia & Achaia, tran-

transire,& rursum in Asiam,vbi est Ierusalem,redire,leue pro Christo duxit. De Macedonia suprà dictum est, Achaia definienda. Est enim præcipua Græciæ regio, peninsula,Aegeo & Ionio mari cingitur, cuius metropolis est Corinthus. Achaia enim antea Aegialos dicta, propter vrbes in toto littore elegantissimo ordine collocatas appellata. αἰγιαλὸς enim Græcis littus significat. Alteram Achaiam post Epirum Ptolemæus depingit, eamque Græciam vocatam fuisse contendit. Volens igitur Paulus iter aggredi, & missis prius discipulis remãsit ad tẽpus Ephesi in Asia. Græcè pro remãsit,est ἐπέσχε, quod cùm significet remorari aliquem & inhibere, significat etiã neutraliter cunctari,morari,& expectare in aliquo loco:id quod annotauit Budęus in Cõmentarijs. *Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. Demetrius enim quidã nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ,præstabat artificibus non modicum quæstum: quos conuocans, & eis qui huiusmodi erãt opifices dixit: Viri,scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: & videtis & auditis,quia non solùm Ephesi,sed penè totius Asiæ Paulus hic suadens auertit multam turbã, dicens: Quoniã nõ sunt dij qui manibus fiunt. Non solùm aũt hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, & destrui incipiet maiestas eius,quã tota Asia, & orbis colit.* Achaia.

Inuidia semper prosperitati resistere nititur. Vnde quidam Demetrius nomine,argentarius, parua Dianæ delubra faciebat,quibus non exiguũ artificibus quæstum præstabat,quique lucrum saluti præferens seditionem cum socijs infidelibus mouit contra Paulum & alios fideles,ita vt à diuitijs & quæstu fieret idololatria: vnde viri malitia patet. Abundans enim, inquit Chrysosto. erat, & ipsi quidem non tantum damnum inde futurum,illis autem plurimum,vtpote pauperibus, qui & quotidiano victitabant opificio. Attamen hi quidem nihil dicunt,ipse autem eos qui socij artis erant,socios assumit & tumultus. Deinde periculum exaggerat, addens: Periclitatur nobis portio hæc,ne reprobetur. Vos inquit,scitis,quia ex hoc opificio est nobis acquisitio:

Græcè, ἡ ἐυπορία ἡμῶν ἐστι, id est, obuenit nobis quæstus & lucrum: quoniam nō solùm Ephesis, sed quasi toti Asiæ hic Paulus persuasit nō esse deos, qui manibus homi nū fiunt. Nec solū hæc pars nobis in periculo est, ne ars nostra reprobetur, verùm etiā magnę Dianæ templū pro nihilo cūctis erit, quā totus colit orbis, Græcè est: ὁ μόνον δὲ τὸ καθ' ἡμᾶς τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς ἀρτεμιδος ἱερὸν εἰς οὐδὲν λογισθῆναι, μέλλειν δὲ καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς. Quæ Græca Budæus ita vertit: Periculum enim nobis est, nō modò ne pars ista, quæstus scilicet nostri, & artificij improbetur, sed & ne magnæ Dianæ templū nihili tandem fiat, eiusq; maiestas imminuatur, vel deijciatur, et pessum detur: id enim significat καθαιρεῖσθαι. Vnde Paulo & Apostolis dant inimici testimonia, quòd Dianæ maiestas, quā per orbē cœli dicebāt, à solo Paulo eorū testimonio deprimebatur, imò destruebatur, nisi subitò occurrerent.

His auditis repleti sunt ira, & exclamauerunt, dicētes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas tota confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erāt amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum. Alij autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa, & plures nesciebant qua de causa conuenissent.

Non hic furor de Dianæ periculo, sed de lucri iactura, qua magis vulgares accendi solent, quàm de deorum cultu, aut templorum periculo. In hoc autem furore clamare cœperunt: Magna Diana Ephesiorum. Quo clamore totam confusione affecerunt vrbem, nullius rationem habentes, sed qui primò occurrerent, arripientes. Et primò Gaium & Aristarchum, qui se primos in theatrum ad sedandum tumultum dederant. Cumque Paulus se theatro committere vellet, à principibus prohibetur, quoniam populus incompositus, inquit Chrysosto. irrationabili impetu omnia audet. Quibus obtemperat Paulus non arrogans, neque inanis cupidus gloriæ. Alij itaque quiddam, alij aliud clamabant, ita vt tota Ecclesia

ecclesia confusa esset. Nec Ecclesia hic dicit fidelium congregationē, sed diuersorum hominum concionem, qui temere illò conuenerant, cōmotionis causam ignorātes. *De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox facta vna est omnium quasi per horas duas clamantiū: Magna Diana Ephesiorum. Et cùm sedasset scriba turbas, dixit:*

Hic Alexander scriba erat Iudæus, Paulo tamen iunctus: quē Iudæi detraxerunt, siue vt alij volunt, protraxerunt instruentes quid dicturus esset ad sedandum tumultum. Græci habent προεβίβασαν, à verbo προβιβάζω, præmoneo, instruo prius quid sit inde dicturus. Interpres legere potuit προεβίασαν. Qui igitur intrusus, & manu silentiū postulans rationē redditurus, amplius mouit tumultum. Pro quo Græcè est, κατασείσας τὴν χεῖρα. Est autem κατασείειν, non voce, sed manu silentium indicere. Quod in eo significato aliquādo habet accusatiuū χεῖρα, vt hic: aliquando datiuū χειρί, vt sup. 13. ἀνασείσας δὲ ὁ Παῦλος, καὶ κατασείσας τῇ χειρί: Cùm surrexisset autem Paulus, & manu silentium indixisset, ait. Et quanquam Paulus biēnio Ephesi prædicasset, nihilominus multa adhuc turba Gentiliū Dianæ adhærebat, timens ne illius cultus extingueretur, vna voce quasi per duas horas clamabat, cùm videret Alexandrum esse Iudæū, & suæ Dianæ male affectum. Hic tamen paulatim sedauit tumultum, & sic locutus est, quasi publicum in ciuitate officium agens. *Viri Ephesij, quis enim est hominum qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iouisq; prolis? Cùm ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere. Adduxistis enim homines istos neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.*

Ephesus, de qua suprà, Ioniæ minoris Asiæ prouinciæ præclara ciuitas, 32. Dauidis regni anno ab Androdo Codri regis filio cōdita fuit, vbi & regiam constituit: cuius posteri Reges dicebātur, in qua naualia multa erant. In illa inter cætera templū toto orbe terrarū celebre Dianæ dicatum, quod vrbē plurimū decorabat, eratq; vnum de

septem mundi mirabilibus habitum. Quod tñ Eroſtratus iniquiſimus nebulo atq; ſceleſtus, natione Græcus, vt perpetuã ſibi famã conquireret, turpiter ſuccẽdit 20. anno Artaxerxis Ochi regis Perſarũ: quo die Alexander Macedo fertur natus Idibus Auguſti. Quo viſo, ſenatus Epheſius decretũ tulit, ne quis vnquã eius nomen literis demãdaret, dignũ planè ſupplicijũ, ſed minimè obſeruatũ: quandoquidem huius ſacrilegi nomẽ ad noſtra vſq; tẽpora peruenit. Veruntamen Epheſij aliud longè præſtantius templũ extruxerũt, mulierũ præſertim ornamentis, & innumeris alijs ad id collatis muneribus. Sacrũ aũt illud Dianæ ſimulachrũ Διοπετὲς dicebatur, quaſi à Ioue è cœlo in terras delapſum, & non ab homine factũ. Διοπετὲς enim dictũ eſt, veluti quod à Ioue decidit, ad ſtuporem ſimplicibus immittendum, quòd ſupernè à Ioue in cœlo eſſe formatũ crederent. Viri Epheſij, inquit Alexãder: Quis vſquã hominũ ignorat Epheſum Dianã colere, & eius ſimulachrũ à Ioue delapſum? Quod autẽ dicit ciuitatẽ cultricem eſſe magnæ Dianæ, Græcè eſt νεωκόρον, quod magis ſignificat edituã, quaſi curatricem tẽpli Dianæ, quæ templũ verrit & ornat. Iouisq; prolis: Græcè, καὶ τοῦ Διοπετοῦς, quaſi à Ioue è cœlo demiſſum, quomodo palladiũ Troianũ, & ancyle Romanũ. Itaque ſimulachra quæ Gentiliũ artifices fabricabãt, è cœlo delapſa fingebãt, vt ſimpliciores leuius illuderent, quomodo hic Demetrius. Et hoc modo ſenſus eſt: delapſi ab Ioue vel cœlo ſimulachri. Διοπετεῖς aũt cùm Homerus reges vocet, veluti ab Ioue profectos & ortos, non dubito quin interpres legerit τοὺς Διοπετοῦς. Quibus verbis Alexander primũ reſtinguit furorẽ, vt nihil amplius ageret præcipitanter. Adduxiſtis inquit, hos homines nec ſacrilegos, nec deã veſtrã blaſphemantes aut contumelijs affi cientes. Hoc autem totum inquit Chryſoſt. mendacium eſt. Iſta tamen ad populum ſedandum dicebat. In hoc ſãltem officioſum erat mendacium, quo populus temperaret à tumultu & ſeditione.

Quòd ſi Demetrius, & qui cum eo ſunt artifices, habent aduerſus aliquem cauſam, conuentus forenſes aguntur, & proconſules ſunt, accuſent inuicẽ. Si quid autẽ alterius rei quæritis, in

tis, in legitima Ecclesia poterit absolui. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ, cùm nullus obnoxius sit, (de quo possumus reddere rationem,) concursus istius. Et cùm hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.

Si igitur Demetrius cum socijs habeat causam cõtra aliquos, agat in iudicio. Sunt enim iudices ad hoc cõstituti, vt controuersias dirimant, si quæ occurrant. Sunt enim forenses iudices, qui ἄγοραῖοι dicebantur, & paũperibus ac forẽsibus hominibus, sicut & ἀνθύπατοι proconsules, diuitũ causas agentes, & criminũ causas audientes. Ad vitandũ igitur seditionis periculum corã illis agant, inquit Alexander, causas suas, & sic legitima dissolui poterit Ecclesia, id est, legitima congregatione, non per tumultũ congregata, sed legitimo more indicta, per consules & præsides, vt moris est. Quoniam in periculo sumus ne arguamur seditionis, cùm nullus nostrũ istius concursus sit obnoxius: Græcè, μηδενὸς ἀιτίου ὑπάρχοντος περὶ οὗ δυνησόμεθα λόγον δοῦναι τῆς συστροφῆς ταύτης. Vbi ἀιτίᾳ, et μηδενὸς, neutri generis magis esse putarẽ, quàm masculini. συστροφὴ autem coitionem arcanam, & factiosam pactionẽ significat. vnde sic reddere locũ possumus: Cum nulla subsit causa, vndẽ rationẽ reddere possimus huius conspiratæ coitionis. Et his dictis reliquit Ecclesiam, id est, concionẽ. Neq; enim in toto hoc capite de fidelium congregatione intelligit: interpres autem reliquit Græcam vocem. Hoc tamẽ inquit Rabanus, vt quasi Iudæus, nolens Iudæos occidi ab idolorum cultoribus: aut quasi Christianus locutus est, quemlibet remittens in domum suam.

CAPVT VIGESIMVM.

Paulus tumultui cedens, peragratis multis Asiæ & Græciæ vrbibus, Macedoniam tandẽ peruenit, & inde Troadem, vbi cùm prædicaret Eutychus, quidam adolescens lapsus occisus est, & à Paulo suscitatus: & peragratis alijs plurimis locis peruenit Miletum, vnde maiores natu Ephesios vocans, Ecclesiam illis commendauit, & valedixit illis, nunquam reuisuros eos.

POstquam autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam. Cùm autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam: vbi cùm fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Siriam, habuitq; consilium, vt reuerteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum Sosipater Pyrrhi Beroensis: Thessaloni censium verò Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbeus, & Timotheus: Asiani verò Tychicus, & Trophimus.

Permittit Dominus iustos tribulari, qui nouit eos de tribulatione eripere, iuxta illud 2. Cor. 1. Benedictus Deus, &c. Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Ab hoc itaque tumultu, inquit Chryso. multa consolatione opus erat. Ex quo quidem tumultu Deus multorum consolationem Pauli discipulorum elicuit, eorum scilicet qui in Græcia, Macedonia, & Asia. Cumque venisset in Græciam, illam scilicet partem Græciæ, quæ dicitur Achaia, in qua est Athenæ ciuitas: vbi cùm menses tres mansisset, discipulos prius conuersos consolatus, passus est à Iudæis insidias, cùm vellet nauigare in Syriam: consilio verò amicorum reuersus est per Macedoniam. Quem comitati sunt discipuli eius, Sosipater Pyrrhi: Græci autem habent Sopater, nec Pyrrhi habent. Sosipater autem Pyrrhi, id est, filius Pyrrhi cuiusdam Beroensis. Pro comitatus est, Græci habent, συνείπετο δὲ αὐτῷ ἄχρι τῆς ἀσίας, id est, consecutus siue comitatus est eum vsque in Asiã. Quod autem dicit: Gaius Derbeus, & Timotheus: cæteros inquit Oecumenius, patrijs suis clariores designat, Timotheum verò minimè: quoniam suprà cap. 16. dictum est in principio. Peruenit autem in Derben & Lystran, & ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus. Vnde satis Derbeus cum Gaio exprimitur.

Hi cùm præcessissent, sustinuerunt nos Troade. Nos verò nauigauimus post dies Azymorũ à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati sumus diebus septem. Vna autẽ sabbati cùm venissemus ad frangendum

gendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitq; sermonem vsque in mediam noctē. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo vbi eramus congregati.

Passus rursum Paulus à Iudæis insidias in via ad Syriam, per aliam viam reuertitur in Macedoniam. Quidam discipulorum præcesserunt illum in Troadem, ibi expectantes eum, & parantes. Vbi igitur dicit, sustinuerunt, Græcè est ἔμενον, id est, expectauerunt. Nauigans itaque Paulus post discipulos à Philippis, quinque diebus peruenit Troadem, ibique moratus est diebus septem. Interea vna sabbati, siue sabbatorum, vt Græca habent, & more Hebræo significat primam diem hebdomadæ: cùm conueniisset ad frangendum panem Paulus, suo more disputabat. Hic fractionem panis Beda interpretatur celebrationem sacramenti Eucharistiæ. Dies enim dominicus erat, & Paulus sermonem ad mediam vsque noctem protraxit. Adeò inquit Chryso. salutem discipulorum cupiebat, quia licet per totam diem prædicasset, neque tamen nocte silebat, non modo ad cœnam, sed etiam post cœnam, multis in cœnaculo accēsis lampadibus.

Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestrā, cùm mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: Nolite turbari: anima enim ipsius in ipso est. Ascendēs autem, frangensq; panem, & gustans, satisq; allocutus est vsque in lucem, & sic profectus est. Adduxerunt autem puerum viuentem, & consolati sunt non minimè.

At vt ait Chriso. conturbauit festum diabolus, quantum potuit, demergens somno auditorem, ac deprimēs, vt sequitur verbis sequentibus. Quidam enim adolescens audiendi desiderio motus, super fenestram sedebat: Verùm quia profunda iam erat nox, non potuit cōprimere somnum, quin graui somno depressus caderet deorsum. Ad quem cùm descendisset Paulus, illum rediuiuum non sine magna omnium admiratione restituit.

tuit. Cùm dicitur, ductus somno cecidit, Græcè est, διαλεγομένου τοῦ παύλου ἐπὶ πλεῖον, κατενεχθεὶς ὑπὸ τοῦ ὕπνου. Hic Budæus putat satius legendum esse victus somno, quàm ductus somno, quod importat κατενεχθεὶς, victus, id est, somno victus atque obrutus, & mersus. ἐπὶ πλεῖον autem referri potest ad τὸ disputante Paulo, aut ad τὸ ductus. Primum autem præstare mihi videtur, cuius sensus est: Diutius Paulo disputante, somno victus & obrutus cecidit. Secundi verò sensus est: Differente Paulo cùm diutius somno grauaretur, cecidit. Vnde Beda: Inter verba prædicationis occurrit occasio curationis, vt dulcedine miraculi & doctrinæ sermo firmetur, & vigiliarũ labor arceatur, & memoria magistri iam discessuri arctius mentibus infigatur. Adduxerunt ergo adolescentem viuum in cœnaculum, in quo lætati sunt non mediocriter: vbi Græcè est ὁ μετρίως, nõ mediocriter. Consolationem inquit Chrysosto. habuerunt non vulgarem. Magna hæc consolatio, & quòd viuum recipiunt, & quòd miraculũ factum est. Interea Paulus modicum panis gustauit, & sic vsque ad diluculum sermonem produxit, & sic mane profectus est.

Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim dispoſuerat ipse per terram iter facturus. Cùm autem conueniſſemus in Asson, assumpto eo venimus Mytylenem. Et inde nauigantes, sequẽti die venimus contra Chium: & alia die applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum. Proposuerat enim Paulus transmigrare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.

Paulus vt plurimum discipulis grauiori præstito labore, hic pedes à Troade iter in Asson arripit, illi nauigio vadũt, permittens illis quod leuius, & eligens sibi quod molestius. Inde nauigio veniũt pariter Mitylenem, inde transeuntes Chium venerunt Samum, & vt Græci addunt, commorati Trogyllij, proximo die venerunt, quo tendebant, Miletum. Festinabat enim Paulus, vt si possibile esset illi, diem festum Pentecostes ageret Ierosolymis. Nec propter festũ tãtùm, inquit Chrysosto.

sed

sed propter multitudinem : interim hoc Iudæis dabat, quasi colat festiuitatem, & rapere volens inimicos, festinabat sermonem annunciare. Assón siue Assos multorum vrbium nomen est. Vna Lyciæ ciuitas est, in promontorio sita. Altera in Mysia. Tertia in Lydia. Quarta in Epyro minore, Cleanthis philosophi patria. Quinta in Aeolide non longè à Troade, Aetholorum colonia, de qua nunc memoria est. Assón quidam dicunt à Methimneis conditam, quæ & verè Aeolica est. Ipsi verò Asij Gargara & Lamponia condiderunt, quæ cùm non bene habitarentur reges, ex Mileto incolas eo deduxerunt, & pro Aeolibus semibarbaros effecêre. Mitylene autem vrbs est Aeolica, à qua nunc tota insula Mitylene vocatur, inter Methimnam & Maliam, à Malia distans stadijs septuaginta. Hæc vrbs rebus oĩbus instructa fuit, portusq; duos habuit, quorum australis quinquaginta triremium ac nauium capax fuit: borealis verò magnus ac profundus aggere protectus. Ex Mitylene fuit Pittacus vnus ex septem philosophis sapientibus Græcis, & Alceus poëta. Sed & Sapho ex Mitylene claruit admiranda mulier, & poëticæ peritissima, cui post tot secula non est reperta, quæ illi posset æquari. Chius insula non ingentorum stadiorum ambitu continetur, cuius vrbs præcipua portum habuit optimum inter Samum & Lesbum, ex aduerso maximè Erythriarum posita: eadem & Chia dicta, monsq; in ea Pelleneus, marmore olim, quod Chium vocabant, celebris. Sed & Chium vinum inter laudatissima, Aruisinum dictum Plinio cap. 7. libr. 14. Strabo autem libr. 14. Aruisiam asperum & importuosum in Chio locum esse scribit, trecentorum stadiorum spacio, qui vinum fert Græcanicorum optimum. Nostri Maluasinum vocant. Ex ea etiam insula deferuntur ficus optimi saporis, & mastix resina quædam preciosissima. Ad hanc autem insulam non dicitur Paulus veniſſe, sed contra eam transisse vsque Samum, quæ Chio & clarior & fertilior dicitur, sita inter Icariam insulam, quæ Icario mari nomen dedit, & oram Ephesi, Anthemusa aliquãdo dicta, à floribus, & Parthenia, id est, virginea: ex qua ortus est Pythagoras philosophus, qui inde Samius est appellatus. Hãc insulã

Assón.

Mitylene.

Chius.

Samos.

fingunt

fingunt poëtæ Iunonem maximè dilexisse, tanquam genitale solum, quoniam in ea adoleuit, & ibi Ioui nupsit. Itaq; antiquissimum habet ibi templum in simulacrum nubentis figuratum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrabantur. Ait autem Herodotus templa Samum habere pulcherrima omniũ quæ in Græcia sunt.

Miletus. Miletus omnium Ioniæ vrbium maximè celebris, caput aliquando regionis, & super octuaginta vrbium per cũcta Maria genitrix, vt ait Plinius. Ex Mileto fuit Timotheus ille musicus, quem Quintilianus libr. 2. institutionum duplices mercedes à discipulis, quos alij instituissent, exigere solitum scribit, facilius ratus rudè docere, quàm dedocere qui praue didicisset. Ex ea fuit & Thales vnus ex septem sapientibus, qui primus Physiologiæ ac Mathematicæ author inter Græcos est habitus: & Anaximãder eius discipulus. Cretenses primò Miletum supra mare condidêre. Sarpedon habitatores ex Mileto Cretensi deduxit, & vrbi nomen ab illo impositum, cùm prius Leleges hunc locum tenerent. Postea Neleus vrbis locum mutauit, & Iones introduxit. Vrbs quatuor portus habuit, quorum vnus classis erat capax.

A Mileto autem mittens Ephesum, vocauit maiores natu Ecclesiæ. Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt insidijs Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos, testificans Iudæis atq; Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.

Miletum igitur Paulus ornauit hac oratione, quam ad Ephesiorum presbyteros habuit, digna meo iudicio, quæ omnium templorum postibus insculperetur, vt simul officij & qui præsunt, admonerẽtur, nec immundas manus, longè minus impium animũ sacris admouerent, & Ecclesiæ perdiscerent indignos esse cœtu suo, qui aut auaritia squalerent sordidi, aut bacchanalia viuerent. Vos scitis inquit, à prima die, &c. Qui ignorat quod nam sit epi-

episcopi, & eius cui credita sit animarum cura, additum munus, videat hic quid se Paulus egisse dicat. Inueniet non solùm humilitatem, sed omnem humilitatem, multas lachrymas, tentationes, insidias: in eo tamen firmam constantiam, qua nunquam se subduxit, perpetuum docendi laborem & palàm & priuatim nõ inane duxit, nec erubuit. Quomodo nihil subtraxerim vobis vtiliũ, Græcè, ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην τῶν συμφερόντων, id est, vt nihil præuaricatus sum in his quæ conducibilia erant. Est autem ὑποστέλλεσθαι, remisse quippiam, ac non totis viribus, totoq; conatu agere. Sic intelligendum quod sequitur: Non enim subterfugi, quominus annunciarem vobis omne consilium Dei. Vbi pro subterfugi, Græcè est ὑποστειλάμην, id est, nihil sum præuaricatus, remissus nõ fui in annunciando omni consilio Dei.

Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans, nisi quòd spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horũ vereor, nec facio animam meam pretiosiorẽ, quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministeriũ verbi quod accepi à Domino Iesu, testificari euangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, † quia mundus sum à sanguine omniũ. Non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis.

† 43. dist. capite. Ephesijs. 3. Reg. 3. f. Dani. 13. c 93. di. ca. Legimus.

τῷ spiritu referri potest ad vado, vel ad alligatus. Si ad alligatus sensus est: iubẽte & quasi impellẽte spiritu. Ad τῷ vado Oecu. refert, dicẽs: Subdistinctio hoc loco ponẽda est post distinctionẽ alligatus, vt sit hæc sententia: Proficiscor Ierusalem, præscius per spiritum quæ mihi ventura sint. Proficiscor autem alligatus: non quòd tunc ligatus esset, sed quòd futurum esset vt in Ierusalem vinciretur. Ex quo inquit Beda, apertè ostẽdit, quòd ea quæ futura erant, non sibi ipsi, sed alijs de se reuelata cognouit, ex quibus erat Agabus propheta, & illi discipuli qui eum à Tyro monebant per spiritum ne ascenderet Ierosolymam. Sed vt ostendat Paulus, quòd propter Christum

stum quæcunq; subeat pericula, testatur hæc omnia præ scire, nec illis vitam præponere velle, quam non habet precioſiorem, quàm ſeipſum. Interpres legit τιμιστέραν ἐμαυτῦ, id eſt, meipſo precioſiorem. Anima autē hic pro vita temporali ponitur. Græca quæ nunc extant, ſecus habent, ſcilicet τιμίαν ἐμαυτῷ, id eſt, neq; duco aut cenſeo vitam meam precioſam mihi, ſiue, neque tanu facio vitam meam, vt non libenter ſcilicet pro vobis in euangelij cauſa profundam, dummodo conſummem curſum meum, id eſt, iniunctam mihi prouinciam perficiam. Græci codices qui nunc extant, hic addunt μετὰ χαρᾶς, cum gaudio. Quod autem ſubdit: Mūdus ſum à ſanguine omnium: oſtendit ſe nihil eorum quæ neceſſaria erāt, omiſiſſe. Igitur ait Chryſo. quoniam illis erat omne pondus relicturus, ac ſarcinam impoſiturus, prius illorum mentes emollit, dicens: Et nunc ecce ego ſcio, quòd nō vltrà videbitis faciem meam. In quibus verbis duplex eſt triſtitia, tunc faciem illius vltrà non conſpiciendam, & ab ipſis omnibus. Ideo meritò conteſtor vobis, me non vltrà vobis affuturum. Veruntamen gaudeo quia mundus ſum ego à ſanguine omnium. Præceptor enim ad annunciandum præpoſitus ſi obdormiat, & non annunciat, reus ſanguinis eſt, hoc eſt, cædis eorum: nēpe quod præceptoris eſt peregi, vt vobis annunciarem. Oſtendit igitur inquit Oecume. illos quoq; niſi ea compleuerint, reos proprij ſanguinis eos fore: propter quod etiā terret eos. Non enim ſubterfugi inquit, quominus omnem Dei voluntatem, diuinumq; conſilium vobis annunciarem.

†95. di. ca. Ecce ego. 7. q. 1. ca. Suggeſtū.

† *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcētes gregi. Et ex vobiſipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lachrymis monens vnumquemque veſtrum.* † *Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus.*

†16. q. 1. canone. Prædicator.

Duo

Duò enim nobis quibus commissa est custodia gregis, commendat, vt prius nobis attendamus, deinde gregi. Prius igitur habenda est ratio salutis propriæ, vt castigatis viuat moribus, idoneum se reddat alienos corrigere mores, ignorantes docere, debiles supportare, superbos deprimere, humiles confortare, his quibus commissa est cura salutis alienæ. Talis ergo debet esse pontifex, qui posit cæterorum infirmitatibus compati. Prius igitur prælati sibi attendant, antè quàm cæterorum regimen subeant, & postea vniuerso gregi sine personarum acceptione, sed omnibus omnia facti cum Paulo, vt omnes lucrifaciant, de quibus Malach. 2. cap. ✠ Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Sacerdotes igitur angeli sunt, ✠ tanquam administratorij Spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Quòd si mali fuerint sacerdotes, malos quoque esse angelos necesse est, qui de cœlo lapsi in veritate non steterunt, & angelicam perdiderunt dignitatem. Attendant ergo sacerdotes, ne & ipsi cadãt: ✠ Qui enim stat, inquit Paulus, videat ne cadat. Potestas enim sacerdotis de cœlo est, de Deo est. Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus authoritatiuè? Sacerdotibus tamen dimittendi peccata data est potestas per hæc verba. ✠ Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cœlis. Inde sequitur: Vos posuit spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiã Dei. Hoc est enim, inquit ipse, officium vestrum, secundum geminum regendi modum dirigere & corrigere in iustitia & iudicio. His enim virtutibus sedes Dei præparantur, aut erigitur, sicut scriptum est: Iustitia & iudiciũ præparatio sedis tuæ. Hoc autem aduertẽdum iubet Oecumenius, quòd eos nunc eppellat episcopos, quos in superioribus dixit presbyteros: aut ideo, quia etiam presbyteros, sicut & episcopos curam gregis agentes in specula esse oportet, ne quis fide ægrotet, ne quis esuriat aut sitiat: aut episcopos vocat hic eos, qui verè sunt episcopi. Vnde ex hoc loco, & epistola ad Philippen. ad Timoth. 1. & ad Titum, colligitur episcopos tunc dici, qui

*Mala. 2.

*Heb. 1. d

✠ 1. Cor. 10. c.

✠ Matth. 16. c.

&

& nunc vocãtur presbyteri: quia quos suprà Paulus iussit vocari bresbyteros, nunc vocat episcopos, quorum omnium vita speculum esse debet sanctitatis, honestatis exemplum, & iustitiæ signaculum. Quare autem iubeat attentos fore vniuersò gregi, bonis & malis, catholicis & hæreticis, quos prævidet futuros tanquam lupos rapaces gregi insidiantes. Pro rapaces, Græcè est βαρεῖς, id est graues, ac vobis onerosi superuenient. Propterea inquit, vigilate, & memoriæ mandate quid per triennium fecerim. Ideo vos commendo Deo, qui potens est ædificare, &c. Græcè est, τῷ δυναμένῳ, & ad τῷ θεῷ refertur, quomodo interpres vertit, ac melius. Deus enim est qui ædificat, & dat hæreditatẽ sanctificatis: quoniam ipse dicit. Cùm non inueniatur vbi Dominus hæc verba dixit, arbitrandum est fuisse sententiam Christo peculiarem, quam scripto non redegerint Apostoli.

†1.Cor. 4.e. 1.Tess.2.b 2.Tes.3.b †De cele. missa. ca. Cũ Martha.

Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis. †*Quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* † *Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet susci pere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit:* †*Beatius est magis dare, quàm accipere. Et cùm hæc dixisset, positis genibus suis orauit cum omnibus illis.*

De cõse. dist.5. ca. Nunqnã. †16.q.1. canone. Prædicator.

In quibus auaritiam maximè taxat, quòd nec solum argentum, aurum, vestes, aut quæ sibi necessaria erant, expetiuit, sed nec ea concupiuit, imò necessitatibus suis & suorum ipse labore suo succurrit. Verùm ne diceret ipsum hoc pro arbitrio finxisse, allegat Dominum antè dixisse: Beatius est magis dare, quàm accipere. Hoc enim inquit Rabanus, in euangelio non legitur. Non enim omnia scripta sunt: sed Paulus forsitan hoc ab Apostolis audiuit, vel à spiritu sancto accepit. Vel potest dici, quòd si non verba sensum istum Iesus indicauit, dicens: Omni petenti dat, & alibi: Nolite accipere aurum, &c. Non enim dixit: Malum est accepisse, & ita elargiri: sed quod melius sit, non accepisse, inquit Oecume. Hoc enim compassionis est erga imbecilles. Nam dare ex alienis ne honestũ quidem est. Est itaq; primus gradus sua abijcere: secundus, necessaria sibi suppeditare: tertius,

etiam

etiam alijs:quartus,eum qui prædicat, & ita accipiendi potestatem habet,non accipere:Hic itaque optimus est. His dictis sermonẽ oratione cũ audientibus compleuit. *Magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes maximè in verbo quod dixerat: quoniam amplius faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad nauem.*

Quæ prædixerat,multa eos tristitia affecerant:maximè autem omnium hoc contristauit, quod vltrà illũ visuri nõ essent,inquit Chryso.& hinc agonis istius summa difficultas. Et quantum diligerẽt eum, ex hoc patet, quia cum lachrymis eum deducebant ad nauem:vbi nõ sine graui dolore inuicem valefecerunt.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Paulus multa nauigatione peruenit Tyrum, & inde Cæsareã,vbi à Philippo diacono exceptus, ab Agabo propheta Ierosolymis ligandus prædicitur: quod tamen illi tandem accidit,cùm se in templo cum quinque alijs sanctificaret: quem Tribunus è manibus eorum liberauit,& in castra eum duxit,impetrata prius facultate loquendi ad populum.

CVm autem factum esset vt nauigaremus abstracti ab eis,recto cursu venimus Coum, & sequẽti die Rhodum, & inde Pataram. Et cùm inuenissemus nauem transfretantem in Phœnicem, ascendentes nauigauimus. Cùm apparuissemus autem Cypro,relinquentes eam ad sinistram, nauigauimus in Syriã, & venimus Tyrum. Ibi enim nauis expositura erat onus. Inuentis autem discipulis,mansimus,ibi diebus septem, qui Paulo dicebant per spiritum ne ascenderet Ierosolymam.

Abstractus ergo Paulus cum socijs ab Ephesijs,recto cursu, id est sine mora:nec est enim recta via à Mileto, vnde exibant,ad Coum.A Coo tamen potest recto cursu nauigari, & inde ad Pataram. Cous autem siue Cos, aut Coa,vel etiam Coos insula est nobilissima cõtra Cariam, inter quam & Chium mediat Samos, sicut inter Samũ & Lesbó Chius. Porrò illis Cous nec fertilitate, Cous.

nec fama cedit ingeniorum: siquidem & Hippocratem genuit principem medicum, Pythagoræ discipulum, & Appellem pictorem incomparabilem. Habuit & Cous Aesculapij templum vetustissimi medici, qui artis fauori diuinos fertur meruisse honores. Rhodus siue Rhodos ex aduerso Cariæ & Lyciæ sita est insula illustrissima, noningentorũ ac vinginti stadiorũ ambitu patet, inter Asiaticas insulas tertia. Lesbos enim & Cyprus maiores habentur: Rhodij tamẽ rerũ gestarum gloria præualuerunt: primò dicta Ophiusa, deinde Stadia, & inde Thelchinus, eo quòd Thelchines eã incolerẽt: & tandẽ Rhodos dicta est. Hãc Saraceni diutius occuparunt, donec recepta à Christianis Ierosolyma, fratres hospitalarij anno Domini 1308. eam occupauerint, & tãdem à Turcis diuturno prælio anno Domini 1522. capta est. Eam autem dici volunt à Rhodo vrbe, quæ in eius orientali promontorio sita erat. Ea autem portubus olim, vijs, & mœnibus, reliquisque ornamẽtis tantopere cæteras superauit, vt ne vllam putarent æqualem habere legũ præstantia, & naualis rei peritia, vt annos multos potiretur maris imperio. Quæ cùm libera esset, multis & donis & simulachris excellentissimis claruit: præcipua tamen fama Colossi extitit. Statuã enim alij Iouis, alij Solis fuisse tradunt, quam Cares Lyndius decies septem cubitorum altitudine ædidit ære, quæ quingentesimo & sexto anno, postquam cõdita fuit, fractis terræmotu genibus corruit. Ipsam autem nec Rhodij attollere ausi sunt, oraculo quodam prohibiti. Hoc inter oblata dona excellẽtissimum, & inter septẽ orbis miracula maximũ omnes confessi sunt. Soldanus Aegypti cùm insulã inuasisset, ex ære huius statuæ, quam constractam reperit, noningentos camelos onerasse fertur, atque in Alexandriam terrestri itinere transmisisse. Plinius hũc colossum à Colosso Lysippi discipulo duodecim annis factum, trecentorum precio talentorum, circa quem centum dicit fuisse minores alios, qui per se locum nobilitare potuissent,

Rhodus.

Patara. A Rhodo Paulus Pataram traiecit, vrbem Lyciæ maximam, Patari cuiusdam opus, quæ amplum habuit portum, & templa plurima, quorum vnum Apollinis erat, à quo dictus est Patareus. Ptolomæus Philadelphus eã pluri-

plurimum adauxit, & Arismone Lyciatam nominauit, sed antiquum nomen delere non potuit. S. Nicolaus ex Mira ortus hîc pontificatum habuit, vir sanctitate præcipua clarus. A Patara Paulus Tyrum vrbem Phœniciæ vectus est, cùm ibi nactus esset nauem, quæ traijceret in Phœnicem. De Phœnice seu Phœnicia diximus sup. ca. 11. cuius Tyrus vrbs est præcipua, quondam populo Romano colonia, septingentorum aliquando passuum interuallo remota à littore, & planè insula, antequam Alexander aggere immisso continenti adiecteret. Hanc Iosephus 240. annis ante Ierosolymitanum templũ conditam putat. Huius rex Hiram Dauidi amicitia coniunctus, & postea Salomoni, cui cedros & abietes ex Libano cæsas, & artifices pro Ierosolymitano cõdendo templo summisit. In illa vrbe Paulus septem diebus cum fratribus commoratus, sed & commonefactus, ne Ierosolymam peteret, nihil minus profectus est. Vnde sequitur. Tyrus.

Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filijs vsq; foras ciuitatem: & positis genibus in littore orauimus. Et cùm valefeciſſemus inuicem, ascendimus nauem: illi autem redierunt in sua. Nos verò nauigatione explicita à Tyro descendimus Ptolemaidem, & salutatis fratribus mansimus die vna apud illos. Alia autem die profecti venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Euangelistæ † qui erat vnus de septem, manſimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. †Sup. 6. b

Expletis igitur diebus septem, deducẽtibus nos omnibus cum mulieribus & liberis vsque ad portum, cum oratione valefecimus, & conscensa naui venimus Ptolemaidem, vbi mansimus vnum diem, sequenti verò die venimus Cæsaream, scilicet Palæstinæ, quæ est Stratonis prius dicta, vbi commorati sumus vsque ad festum Pentecostes, vel proximè. Et ita Pauli patet iter à Troade in diebus Azymorum. A Philippis. n. post dies Azymorum venerunt Troadẽ in diebus quinq;, & ibi manserunt diebus septẽ, vt patet sup. 20. cap. & sunt. 12. dies: deinde in 6. diebus in Mitylenem, in Samũ, & Miletum,

& fiunt 18. dies. Deinde 3. diebus à Mileto in Coum, in Rhodum, in Pataram, & fiunt 21. dies. vt cap. 21. A Patara in Tyrum per dies quinq;, & fiunt 26. dies. Tyri verò manserunt septem dies, & sunt 33. dies: postea Ptolemaide vno die, & sic fiunt 34. dies. Dies autem Azymorum, quos Philippis peregerunt, 8. erant, quos si superioribus addideris, fient 42. dies. Et ita vsq; ad Pentecosten restant solum 8. dies, quos peregit Paulus Cæsareæ, & inde ad diem festum Pentecosten cum cæteris perrexit: sed renitentibus discipulis. Est aũt Ptolemais siue Ptolemaida prima celebriorum Phœniciæ vrbiũ, & Iudææ proxima, maritima autem, & amœno montiũ iugo clausa, cum amne Belo lentè meante, limosoq;, & insalubriũ aquarum: sed celebri tamen ob arenas, quas tot retrò seculis vitrarijs officinis exhibuit. Hæc ciuitas modò Acon dicitur, quæ Carmelum à meridie habet, à Tyro 32. miliar. distans, in finibus tribus Asser. Cæsarea triplex: Prima Cappadociæ, de qua sup. cap 18. Altera Philippi, quæ prius Lais, deinde Lesen Dan, vt Iudicum 18. sed à Philippo Herodis fratre instaurata dicta est Cæsarea Philippi, ad differentiam Cæsareæ Palestinæ, vbi Centurio fidem à Petro accepit, & cuius nunc meminit: quæ prius Turris Stratonis dicebatur, ab Herode in honorem Cæsaris instaurata, & Cæsarea Palæstinæ dicta, quæ est sita est inter Ioppen & Paran ad mare, ab Ierusalem sexcentis stadijs distans. Exceptus itaque Paulus à Philippo diacono in Cæsarea, cui non repugnabat diaconi officium, qui particeps fuerat nuptiarum, sicut neq; Petro Apostolatus. Erant igitur Philippo filiæ quatuor virgines & prophetides, quod propter pudorem magis assequebantur, inquit Oecume. vt & prophetia dignæ haberentur. Manifestum itaque est, quòd magno studio apud eas seruabatur virginitas. Nisi enim digna esset pro qua certaretur, nequaquam addidisset actor, quòd etiam virgines erant: quod adiectũ est in cõmẽdationem virginitatis, quam pietatis studio exercebant

Ptolemais.

Cæsarea.

†Supr. 11. d. †*Et cùm moraremur per dies aliquot, superuenit quidam vir à Iudæa propheta, nomine Agabus. Is cùm veniſſet ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans ſibi pedes & manus*

nus, dixit: Hæc dicit spiritus sanctus: Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium. Quod cùm audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam. Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego autem non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Et cùm ei suadere non possemus, quieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat.

Spiritu sancto exhortante, nemini contraria suadenti, consentit Paulus. Persuadentibus discipulis ne ingrederetur Ephesi in tumultuantem populum, consensit, quia non habebat à spiritu. Similiter sæpius illum per fenestram eduxerunt, & persuasus effugit. Nunc autem plurimis tam Tyri quàm Cæsareæ rogantibus & flentibus, & plurima grauia prædicentibus, inquit Chrysostomus, non sustinet, quoniam & per spiritum sanctum dicebant, cui tamen contradicebant: non ideo illis fidem adhibuit. Præterea Agabus propheta à Ierosolymis ascendens, qui & ex reuelatione habebat, palàm signo monstrauit, quòd ligarent eum Iudæi Ierosolymis: nec ista tamen curauit, adeò ardens erat ad quæcunque audierat exequendum. Ad quem nil aliud dicere potuerunt, nisi voluntas Domini fiat.

Post dies aũt istos præparati ascendebamus in Ierusalem. Venerunt autem quidam ex discipulis à Cæsarea nobiscũ, adducentes secum (apud quem hospitaremur) Iasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum. Et cùm venissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesq́ collecti sunt seniores. Quos cùm salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.

Instante festo Pentecostes, non obstantibus fletibus discipulorum, Paulus ad diem festum ascendit, Domino fidens, & seipsum voluntati eius committens, qui in periculis omnibus illi semper affuit, & de omnibus his liberauit eum Dominus. Hunc autem multi à Cæsarea

comitantur. Quia verò propter festum multi & Iudæi & Gentiles illuc confluebant, ideo rara credebant fore hospitia: propterea quendam ducunt secum veterem discipulum, qui Ierosolymis habebat hospitium, in quo Paulum cum discipulis acciperet. A fratribus autē Paulus benignè exceptus est. Sequenti autem die visitauit Iacobum fratrem Domini, Ierosolymorum episcopum, cui cum cæteris senioribus palàm, quæ per eius ministerium apud Gētes fecisset Dominus, ipse narrauit, nō vanæ gloriæ studio, sed vt magnificetur Dominus. Vnde audientes Deum glorificabant, nec Paulum extollebant: quod nec ipse quærebat, sed totum Deo tribuebat, sibi verò nihil nisi ministerium & instrumentum, quo Dominus operatus est tanta inter Gentes.

At illi cùm audissent, magnificabāt Deū, dixerūtq; ei: Vides frater, quot milia sunt in Iudæis qui crediderūt, & oēs æmulatores sunt legis? Audierūt aūt de te quia discessionē doces à Moyse eorū qui per Gentes sunt Iudæorū, dicēs nō debere eos circūcidere filios suos, neq; secundū consuetudinē ingredi.

Conuocatis ergo Christianis apud Iacobum narrauit Paulus quid Deus per eius fecisset ministerium, ex quo Deum cuncti magnificauerunt. addiditque Iacobus: Vides frater, imminens tibi periculū. Quotquot enim crediderunt Iudæi, Mosaicæ legis adhuc sunt æmulatores: audierunt autem de te quòd doceas omnino discessionem à lege Moysi. Quod vt ait Augustinus ad Hiero. epist. 19. vtiq; nefas est, vt credentes in Christū discindātur à propheta Christi, tanquā eius doctrinā detestantes atq; damnātes, de quo ipse Christus dixit: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Te etenim existimant prædicare legalia Moysi non solùm mortua esse, sed & mortifera, quodq; peccatum sit illos circuncidere filios suos, & iuxta priscam cōuersari consuetudinem in legalibus & cęteris Mosaicę legis ceremonijs. Quod tamen falsum erat: quia Timotheū circūciderat, & caput suū totonderat in Cenchreis ex voto, factusq; est Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret: cum Gentibus autem, quæ legis necessaria erant, & euangelio consona, docuerat.

Quid

Quid ergo est? Vtiq; oportet conuenire multitudinem: audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. His ergo assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis vt †Nu. 6.c. Sup. 19.c.
†radant capita: & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulans, & ipse custodiens legem. De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes vt † abstineant se ab idolis immolato, & sanguine, & †Sup. 15.
suffocato, & fornicatione.

Iacobus enim Paulum non ad hoc admonet cum illis quatuor sanctificatum ire, tanquam putaret per ea legalia sacramenta etiam Christianam salutem dari, sed ne illa, vt prioribus congruebat temporibus, in vmbris rerum futurarum Deus fieri iusserat, tanquam Gentilium idololatriam damnare videretur: hoc est enim quod illi ait Iacobus. Nec vt opinor, obscurum est & Iacobū hoc ideo monuisse, vt scirent ea falsa esse, qua de illo audierant hi, qui cùm Christum ex Iudæis crediderant, tamen æmulatores erant legis, ne per doctrinam Christi velut sacrilega, nec Deo mandate conscripta dānari putarētur, quæ per Moysen patribus fuerant ministrata. Hoc enim de Paulo iactauerant, nō illi qui intelligebāt quo animo à Iudęis fidelibus obseruari tūc ista deberēt propter adipiscēdam salutē, quæ iam in Christo reuelabatur, & per baptismi sacramentū ministrabatur. Sed illi hoc de Paulo sparserant, qui sic ea volebant obseruari, tanquā sine his in Euangelio salus credētibus esse nō posset. Ideo quanquam aliqui qui Ierosolymis essent, crediderant, instituta legalia adhuc obseruare volebāt. Ipsum. n. Paulū audierant esse vehementissimū gratię prædicatorē, sed intentioni eorū maximè aduersum docentē per illā hoiem nō iustificari, sed per gratiā Iesu Christi, cuius annūciandæ causa illæ vmbræ in lege mandatæ sunt. Et ideo illi inuidiā & persecutionē molientes cōcitare, tanquā inimicū legis mandatorūq; diuinorū criminabātur: cuius falsę criminationis inuidiā congruentius deuitare nō posset, quā vt ea ipse celebraret, quæ dānare tanq̄ sacrilega putabatur: atq; ita ostēderet nec Iudęos tūc ab eis tanquā à nepharijs prohibēdos, nec Gētiles ad ea tanquā necessaria

compellendos. Nam si reuera sic ea reprobaret, quemad modum de illo auditum erat, & ideo celebranda suscipere, vt actione simulata suam posset occultare sententiam, nō ei diceret Iacobus: Et scient oēs. sed diceret: Et putabunt omnes: quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt. Habemus autem quatuor ex voto purificandos: his assumptis porrige hostias, quæ iuxta legem pro eis offerendæ sunt, vt suspitionem soluas, & ostendas quòd non solùm non doceas quæ legi contraria sunt, imò quòd & ipse serues quæ in lege iubētur. Quòd si diceret: Si Gētes hoc didicerint, offendiculum à me patientur: hoc soluit. De Gentibus autem quæ crediderunt, iandudū scripsimus, ne quid huiusmodi obseruent, nisi vt caueāt ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & scortatione.

Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus cū illis intrauit in templum annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Iudæi cùm vidissent eum in tēplo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: viri Israëlitæ, adiuuate. Hic est homo qui aduersus populum et legem & locum hunc omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum. Viderunt enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quē æstimauerunt quoniā in templum introduxisset Paulus.

Paulus igitur tandem persuasus à Iacobo, abrasus est, & quæ Iudaica erant instituta, ad sanctificationem assumptis his quatuor viris perfecit, & cum illis purificatus est, hostiasque obtulit secundum legem. Hæc autem sanctificatio fiebat secundum legem Nazarēorum, de qua Nume. 6. cap. qua se voto astringebant ad certū tēpus abstinentes à seculi huius vanitatibus, & cultu corporis delicato: nō radebāt barbā, nec crines: à vino, vua passa, & à quocunq; quod ex vite prodit, omnino abstinebant: sed & à sicera, & à dilutiori, quę solet ex vinaceis fieri, potione: sed & ab omni potu qui mentem, ab integra peruertit sanitate, & inebriare potest. Hoc autem tempus dicitur tempus sanctificationis, seu separationis,

quo

quo peracto sic sanctificatus hostias offerebat, verticem & barbam radebat,& rasuram in ignem cum hostia mittebat. Quare autem Nazaræis comam nutrire præceptum sit, varij varia referunt. Quidam hoc mysticum dicunt,vt dum coma augetur, virtutes quoque augeantur, quia videlicet è capite vtrunque. Alij vt ritus offerendarum comarum dijs,vel potius dæmonijs auferretur & ad Deum transferretur. Gētiles enim, inquit Cyrillus, mutarum pecudū more viuētes offerebant comā, dæmonijs eā nutriri permissam,alius in huius dij honorem, alius in huius vel illius nymphæ gloriā: religionis loco barbam vel comā nutriebant,quam voto tandē offerebāt.Quē morem & ritū vt tolleret Moyses,instituit ritū quo in sanctificationem deferrent,sed tandem Deo offerrēt.Quē ritū Paulus adimplens ex consilio Iacobi, deprehensus est, vexatus est,& fermè occisus.Dum aūt dies septem purificationis implerētur, agnoscitur,à Iudæis. Nondum tamen, inquit Beda, septem dies consummati erant, sed eorum cursus adhuc agebatur, atq; penè expleti erant, siue incipiebāt cōsummari, cùm Iudæi ab Asia venientes iniecerunt in illum manus, clamantes: Viri Israëlitæ.adiuuate: Græcè aūt est Βοηθεῖτε, hoc est,succurrite.Quia videbant, inquit Beda, nouæ gratiæ sectatores minus ceremonias legis & templi solennia frequentare,timebāt,sicut in euāgelio legitur,ne venirent Romani,& tollerent eorum locum & gentem. Quinetiam viderant Trophimum Ephesium in ciuitate cum illo,quem existimarunt quòd in templum intro duxisset Paulus. Hic autem quamuis tanta passus, non reprehendit eos, quòd ipsi essent horum omniū causa. *Commotaq; est ciuitas tota,& facta est concursio populi.Et apprehendentes Paulum trahebant eum extra templum, & statim clausæ sunt ianuæ.* †*Quærentibus aūt cū occidere,nunciatum est Tribuno cohortis:quia tota confunditur Ierusalem. Qui statim assumptis militibus & centurionibus,decucurrit ad illos. Qui cùm vidissent Tribunū & milites, cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens Tribunus apprehendit eum, & iussit eum alligari catenis duabus:& interrogabat quis esset,& quid fecisset.Alij autem*

†23.q.3. cap. Maximian⁹.

aliud clamabant in turba. Et cùm non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra.

Qui in Asia Pauli verba audierãt Iudæi, aliquot diebus Ierosolymis versati illum agnouerũt, & in eum totam concitauerunt vrbem, clamantes: Succurrite, quia hic introductis Græcis prophanauit templũ, sed ne hic solum, sed & vbique docet Mosaicæ legis discessionẽ, & finem. Et apprehensum Paulum extraxerunt eum extra templũ, ne cæde eius prophanaretur templũ. * Quę- ✠23.q.c. Maximianus.
rentibus autem eum occidere, accessit Tribunus cum militibus: neque enim Paulus Apostolus vitæ suæ transitoriæ, sed Ecclesiæ Dei consulit, quando contra illos, qui eum occidere conspirauerant, consilium eorum, vt Tribuno proderetur, effecit. Vnde factũ est, vt eum ad locũ, quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateret insidijs. Quod autem dicit: Nunciatum est tribuno cohortis: Græcè est, ἀνέβη φάσις τῷ χιλιάρχῳ τῆς σπείρης, id est, peruenit rumor ad Tribunum, siue denunciatum est Tribuno. Qui accedens Paulum ligatũ misit ad castra, clamantibus in eum cũctis, ne quidem Tribunus rationem tumultus intelligere posset.

Et cùm venisset ad gradus, contigit vt portaretur à militibus propter vim populi. Sequebatur enim multitudo populi clamans: Tolle eum. Et cùm cœpisset induci in castra Paulus, dicit Tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit ei: Græcè nosti? Nónne tu es Aegyptius ille qui ante hos dies tumultũ cõcitasti, & eduxisti in desertũ quatuor milia virorũ sicariorũ? Et dixit ad eũ Paulus: Ego homo sum quidem Iudæus, à Tarso Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps. Rogo aũt te, permitte me loqui ad populum. Et cùm ille permisisset, Paulus stãs in gradibus annuit manu ad plebẽ, & magno silẽtio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens.

Cumq; Paulus à militibus magis portaretur propter vim populi, quàm duceretur, Iudæi nihilominus clamabant: Tolle eum. Hanc vocẽ moris erat Iudæis dicere aduersus iustos, quemadmodum etiam cõtra Dominũ. Tolle eum, hoc est, auser eum è viuis. Paulus verò petit mãsuetè quiddã loqui Tribuno. At ille dixit: Nónne tu Græcè nosti? quandoquidem ipse interrogasset Græcè,

ideò

ideo hoc interrogat, quia eum putabat fuisse illum Aegyptium, qui sub Felice prefecto Iudææ seditionem mouit, de quo Ioseph. Antiq. lib. 20. cap. 12. Eodem tempore quidam ex Aegypto venit Ierosolymam, vatem se esse profitens, & plebi suadens, vt secuta se in montem Olivueti ascenderet, qui è regione vrbis ad quintum abest stadium: illic enim visuros suo iussu Ierosolymorum ea dere mœnia, ita vt per eorum ruinas aditus in ciuitatem pateat. Quo cognito Felix iubet milites arma sumere, stipatusque multis equitibus ac peditibus erumpens inuadit turbam seductam ab Aegypto: quorum quadringentis occisis, ducentos viuos cepit. Aegyptius ipse pugna elapsus disparuit. Propterea Tribunus qui sub Felice Ierosolymis erat, ad Paulum, in quem Iudæorum fuerat commota seditio, dixit: Nónne tu es Aegyptius ille, qui ante hos dies concitaueras populum, & eduxeras in desertum ad quatuor milia hominum sicariorum? Græcè scribens τῶν σικαρίων, Latino nomine vsus est. Sicarij enim, inquit Oecume. latrones vocantur, genere ensium vtentes, qui proximè ad eorũ accedunt magnitudinem, quos Persæ Acinacas dicũt, Romani verò sicas appellãt, à quibus illi etiam latrocinium exercentes appellationem acceperunt. Interrogatus itaque Paulus an esset Aegyptius ille sicarius & seductor, respõdet Paulus paulò modestius: Ego sum inquit, Iudæus Tarsensis ciuis. De Tarso dictum est su. cap. 9. quæ olim dicta fuerat Terson, siue quòd illic à diluuio primum apparuit terra sicca, siue quòd illic delapsus Pegasus talo fracto, quem illi ταρσὸν appellant, claudicationẽ contraxerit. Est & alia eiusdem nominis in Bithynia. Rursus & alia quępiam in India, vt iudicat Hiero. super Ionã. Oro inquit Paulus ad Tribunũ, permitte me paucis loqui ad populũ: tanquã paratus esset omniũ reddere rationẽ, modò ab eis permitteretur audiri. Quo permittẽte stabat Paulus in editiore graduũ loco, vinctus tñ duabus catenis, Hebræa lingua sic cœpit omni cũ mãsuetudine concionari, & populũ ita exasperatum modestius, quàm maximè potuit, mitigare: sed & eorum lingua, indito manu silentio, quo nó ob Pauli reuerentiã facto, sed auiditate audiendi, quidnã causæ excusationis allegaret tantæ qua accusabatur temeritatis. Tarsus.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Ligatus Paulus à Tribuno suæ doctrinæ rationem reddit, suam apud Iudæos conuersationem & interim conuersionem à Domino mirabilem profitetur, qua mediante Domini iussu, quicquid voluerit fecit: cui cùm verbera minaretur Tribunus, se Romanum esse protestatus est.

VIri fratres & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem. Cùm audissent autem quia Hebræa lingua loquitur ad illos, magis præstiterunt silentium. Et dixit: Ego sum vir Iudæus, natus Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate, secus pedes Gamalielis eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator
†Sup.8.a & 9.a. *legis, sicut & vos omnes estis hodie: † qui hanc viam persecutus sum vsque ad mortem, & alligans & tradēs in custodias viros ac mulieres, sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu: † à quibus & epistolas accipiens ad fratres, Damascum pergebam, vt adducerem inde vinctos in Ierusalem, vt puniretur.*
†Sup.6.a 1.Cor. 15.b. Gal.1.c.

Paulus Iudæorum captans beneuolentiam, illos primum cognatione vocis allicit, mox & mãsuetudine: neque enim eos dominos aut socios, sed fratres inferiores, superiores autem patres vocat, quasi non alienus ab illis, sed Germanus. Audite inquit, meam quam nunc ad vos habeo excusãtionem. Non dixit doctrinam, inquit Chrysost. neque concionem, sed defensionem, & omniũ quæ mihi impinguntur rationem. Verũ quia multam illi linguæ Hebrææ, qua loquebatur, habebant reuerentiam, reddidit eos attentiores. Ego inquit, sum vir Iudæus, natus in Tarsõ Ciliciæ, & in hac ciuitate nutritus. Glosa autem ordi. refert: Natus in oppido Galilææ, Giscali nomine, fuit Paulus, quo capto à Romanis, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ migrauit: ob studium autem legis Ierosolymam veniẽs à Gamaliele est eruditus. Modò vocatur ciuis Romanus, modò municeps: nimirum municipem, vt Vlpianus inquit, facit aut ciuitas, aut manu missio, aut adoptio: quoniam municeps, & qui liber

natus

natus est in municipio, dicitur,& qui in municipio à seruitute se liberauit, & qui ciuitatem quamcunque assecutus est. Propriè tamen municipes dicuntur,qui in ciuitatem Romanam recepti, munerum participes fiunt: quasi vrbis munia capientes. Quamuis ergo Giscali natus,tamen se Tarsensem dicit,imò et Romanum,cùm Tarsi nutritus sit in Cilicia,quæ subiecta esset Romanis. Alij volunt parentes eius ductos fuisse Tarsum tanquam municipes, antequam natus esset Paulus, cùm nusquā se iactet in Iudæa natum,sed de hoc inferius. Cumque adoleuisset,missus est Ierosolymam ad sacræ scripturæ studium: vbi legisdoctorem Gamalielem nactus, ad pedes eius in patria lege apprimè educatus. Gamaliel autem, vt supr. cap. Pharisæus erat,& vt Clemens ait, consocius erat Apostolorum in fide,consilio autē eorum cum Iudæis manebat, vt in tali turbine pessima eorum consilia destrueret,& eorum furorem mitigaret,& si posset,sedaret. Huius autem Paulus doctrinam sectatus & mores, Dei pro viribus sectator, non minus quàm vos sectamini hodie. Nec minus quàm vos hanc viam persecutus sum: nō enim expectabam sacerdotū & maiorum iussum, sed ipse sacerdotes excitabā, nec viros modò, sed & mulieres in vincula & carceres conijciebam. In quo testes omni exceptione maiores adducit, principem sacerdotum,ac ipsos sacerdotes, cæterosq; qui in ciuitate cuiusuis essent autoritatis. A quibus etiam Damascum profecturus epistolas acceperam, vt quoscunque huius viæ viros vinctos adducerem Ierosolymam ad supplicium.

Factum est autem eunte me, & appropinquante Damasco media die,subitò de cœlo circunfulsit me lux copiosa: & decidens in terram,audiui vocem de cœlo dicentem mihi: Saule,Saule,quid me persequeris? Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixitq; ad me: Ego sum Iesus Nazarenus,quem tu persequeris. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt,vocem quidem nō audierunt eius qui loquebatur mecum. Et dixi: Quid faciam Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgēs vade Damascū, & ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere. Et cū nō viderē præ claritate luminis illius,ad manū deductus à comitibus veni Damascū.

Tota

Tota controuersia inter Paulũ & Iudæos in hoc consistebat, quòd à patrum traditionibus discessisse diceretur, & Christi traditiones vbique promulgaret. A quibus se absoluens, non ab hominibus hæc accepisse dicit, sed à Deo ad hæc fuisse compulsum modo sequenti, & ideo reijciendam in eum non esse culpam. Contigit itaque mihi, inquit, appropinquanti Damasco circiter meridiem, repentina me lux de cœlo circunfulsit, vi cuius in terram collapsus vocem audiui mihi dicentem: Saule, Saule, quid me persequeris? Testes superfunt, qui lucem viderunt, quandam vocem ad me loquentem audierunt, quam non intellexerunt, sed me mane in Damascum duxerunt. Cùm superius cap. 9. dixerit: Audientes quidem vocem, neminem autem videntes: hic autem ait: Lumẽ quidem viderunt, vocem quidem non audierunt eius qui loquebatur mecum: videtur esse discrimen, quod Beda soluit, dicens: Vnde colligitur eos sonũ vocis confusæ, non discrimen verborũ audisse. Rabanus autem: Intellexerunt inquit, sed solum sonum vocis Pauli, vel eius qui Paulo loquebatur, non autem distinctè quid loqueretur intellexerant. Quoniã vt ait Chryso. Nõ est tantũ operata lux erga illos, quantum erga hunc: etenim excæcauit illius oculos. Quo euẽtu illi si voluissent, illustrari poterant. Itaq; mihi videtur etiã singulari ordinatione illos non credere, & ita esse testes fide dignos. Ingredere inquit Dominus, in ciuitatẽ ad Ananiã, qui tibi dicet quæ de cætero sis facturus. *Ananias autẽ quidã vir secundum legẽ, testimonium habẽs ab omnibus cohabitantibus Iudæis, veniens ad me, & stans dixit mihi: Saule frater, respice. Et ego eadẽ hora respexi in eũ. At ille dixit: Deus patrũ nostrorũ præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustũ, & audires vocem ex ore eius: quia eris testis illius ad omnes homines eorum quæ vidisti & audisti. Et nunc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.*

Vt suam autem satius confirmet defensionem, nihil sine testimonio affert, personas simul nectens & actiones: personas inquam sacerdotum, presbyterorum, senatus, comitum, Iudæorum, & Ananiæ extranei: actiones autem,

autem, tuitionem legis in martyrio Stephani, epistolarū commissionem ad conterenda viam Christi lapsus eius, & cæcitas, visitatio eius per Ananiam, & visio atq; prophetia: quæ cuncta mouere debuerunt auditores, si probè ad Christum affecti fuissent. Ananias vir pius secundum legem, & ab omnibus Iudæis, præsertim Damascum habitantibus notus, venit ad Paulum, dixitque ad eum: Deus patrum nostrorum præordinauit te, vt cognoscerés voluntatem suam, & vt videas eum iustum. Conueniens ordo, inquit Rabanus. Primò præordinatus est in præscientia Dei: Deinde cognoscit veritatem: videt iustum: audit ex ore ipsius: postea fit testis eorum quæ cognouit: vidit, audiuit. Igitur inquit, propter hæc non amittes visum & auditū, super his quæ vidisti & audisti. Nūc exurge, & baptizeris, vt deleas peccata tua. In quibus nā peccatis erat Paulus, qui hæc ignorans faciebat, vt ipse ait. 1. Tim. 1. ✣ Prius blasphemus fui, & persecutor, & cōtumeliosus, sed misericordiā Dei cōsecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Soluit Aug. homil. 14. tracta 50. homiliarū. Cùm aūt Paulus Apostolus, prius Saulus, crudelissimus esset, & immanissimus persecutor, nihil omnino boni merebatur: imò merebatur plurimū malū: merebatur. n. damnari, non eligi. Ecce subitò cū mala faceret, & mala mereretur, vna cœlesti voce prosternitur. Persecutor deijcitur, prædicator erigitur. Audi eū hoc ipsum confitentem: Qui prius fui blasphemus & persecutor, & iniurioſus, misericordiā cōsecutus sum. *Factum est autem reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, & videre illum dicentem mihi: Festina, & exi velociter ex Ierusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me. Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt † quia ego eram concludens in carcere, & cædens per synagogas eos qui credebant in te. † Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego stabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longè mittā te.*

✣1. Timoth. 1.

†Sup. 8. a. †Sup. 7. d

Hęc autem visio non statim post conuersionem suam facta est, vt ipse ait. Gal. 1. Neq; veni Ieroſolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij Arabiam, & iterum reuer-

50. dist. capite. Si post. §. Et vt prętereamus.

reuersus sum Damascũ. Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum: & mansi apud eum diebus quindecim. Interea igitur hanc visionem habuit, qua factus in ectasi apparuit illi Iesus oranti in templo, dicens: Festina, & Ierusalem properè exi, quia verbum tuum de me non sunt suscepturi. In quo illos vehementer taxat, & quòd Christus est, constanter, probat: & ideo ipsum absque ratione persequebantur, in quibus erant inexcusabiles. Paulus autem aliquatenus se excusans: Ego inquit, persecutor fui seruorum tuorum, nec solum persecutor, sed & homicidia, cædens per synagogas eos qui in te credebant, & præcipuè Stephanum protomartyrem tuum, si non meis, saltem aliorum manibus occidi, astans tanquam commissus à senatu, & ideo consentiens neci eius. Respondit Christus: Vade, quia ego ad Gẽtes procul mittam te, quæ facilius his Iudæis nomen meum recipient.

Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum, & leuauerunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere. Vociferantibus autem eis, & proijcientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërẽ, iussit Tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Et cùm astrinxissẽt eum loris, dicit astanti sibi Centurioni Paulus: † *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito Centurio accessit ad Tribunum, & nunciauit ei, dicens: Quid acturus es? Hic enim homo ciuis Romanus est.*

† 10. dist. Si in adiutorium.

Perstiterunt Iudæi patientes, dum hæc cuncta Paulus narraret, in quibus etiam Christi maiestas elucebat. Verbum autem quo mittendus esset ad exteras Gentes, ad Christi nomen prædicandum, ferre non potuerunt, cùm etiam illum in patria sua persequerentur, adeò cæci, & inuidi erant, & quòd non recipiebant eum post tot signa & miracula per tot & tantos præcones, & quòd ingrato ferebant animo, si Gentes eum recipiebant. Ideo hoc audito verbo clamare cœperunt: Tolle talem hominem de terra, & terrenis: quia nefas est eum viuere inter terrenos. Vociferantibus autem eis, & proijcientibus vesti-

vestimẽta sua,&c. Super quod ait Beda: In Domini passione sacerdos solus de throno exiliens vestimenta scindit, quia tunc sacerdotium vetus erat nouo mutandum. Nunc verò quia post mortem Apostolorum tota simul Gens erat regni gloria spolianda,cuncti indumenta proijciunt, & clamorem puluere mixtum od cœlum tollũt, iuxta quod Psal.ait: ✠ Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Quibus auditis iussit Tribunus eum in castra induci, flagris examinari, vt cognoscat ob quam causam in illum ita mirabiliter clamant. Oportebat inquit Chrysosto. Tribunum etiam ipsos rogare, an ita res habeant, & quid causæ ex parte eorum esset. Nihilominus tamen illum solum iubet flagris examinari, id quod ab inclamantibus potius erat scisitandum & rogandum. Non enim quærebat hoc vt iustè faceret, sed quomodo illorum iniustum furorem placaret. Ideo Paulus hanc impræmeditatam sententiam ægrè ferẽs, quòd contemptior longè fieret flagellatus, sententiæ non acquieuit, sed ex his maiorem incutit metum: quoniam si eum flagellasset Tribunus, & eum abire fecisset, rem prorsus aggrauasset, quoniam illum occidissent: nunc autem liber effugit. Vnde Tribunus audiens quia Romanus esset, perterritus est. Duo enim crimina illi Paulus impingit, & quòd Romanum ciuem verberibus afficere iubet,& quòd absq; iudicio non conuictũ intentaret. *Accedens autem Tribunus dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. Et respõdit Tribunus: Ego multa summa ciuitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam resciuit quia ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum. Postera autem die volens scire diligentius qua ex causa accusaretur à Iudæis, soluit eum, & iussit sacerdotes conuenire, & omne consilium, & producens Paulum, statuit inter illos.*

✠ Psal. 73.d.

Quærit itaque Tribunus ex Paulo, nónne Romanus esset. Constanter respondit Paulus: Etiam. Ait Tribunus: Ius illius ciuitatis grãdi emi precio. Respondit Paulus: Ius illud non emi, sed natura illud mihi datum est,

quia & ciuis Romanus natus sum. Qui eum flagris examinaturi erant, hæc audientes, abierũt. Illum solui iussit, & amplius interrogauit eum in conspectu sacerdotum, & totius senatus eorum. Vnde Deus multa etiam humano more fieri concesit. Planum est enim, inquit Oecumenius, quòd si mentitus fuisset, nõ solùm à plagis se non liberasset, verùm etiam truculentius sibi parasset supplicium. Feciſſet quoque credibiles Iudæorũ aduersum se calumnias, quòd impostor esset, mendax, & præstigiator: quæ vniuersã Paulus maximè nitebatur de medio tollere. Cùm verò Tribunus diceret ei: Tam facilè dicis, inquit Beda, te ciuem Romanum? Ego enim scio quanto precio ciuitatem istam possedi. Et Paulus respondit: Ego autẽ & natus sum: id est, ego in hoc plus te Romanus sum, quòd non alibi natus Romanum nomen emi, sed in ipsorum sum ciuitate progenitus. Quomodo autem ius Romanæ ciuitatis habens natus est, si Romæ natus non est? Quia cùm pater suus hunc honorem comparasset, & per eum venerandus ac glorioſus fuisset, ipse in eo natus est, inquit Oecume. Cùm itaque ait: Ego verò & natus sum: tãtundem est, ac si dicat: Tu quidem Tribune, recentem habes honorem grandi pecunia emptum, ego verò paternam habeo gloriam, & quæ mihi congenita est. Hæc autem ait, ne flagellatus facilè despectui haberetur. Interim tamen iuxta prophetiã alligatus est Ierosolymis. Quid igitur postmodum accidit? solutum deduxit ad Iudæos. Non igitur mendax erat. Timuit enim Tribunus inquit, vbi resciuit quòd Romanus esset, hoc est, ex genere dignitate claro, & ciue Romano.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Paulus in concilium productus iubetur à ponifice cædi, tunc Paulus ait imò ipsum à Deo cædendum Cumque se Phariſæum assereret, à Sadducæis propterea impugnatum ex resurrectione, dissensio inter Phariſæos & Sadducæos orta est, & ideo nouæ Paulo parantur insidiæ, quibus per nepotem suum detectis, mittitur Cæsaream ad Felicem prçsidem super his iudicandus.

Intendens

INtendens autem in concilium Paulus, ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum vsque in hodiernum diem. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os eius. Tunc Paulus dixit ad eum: † *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Et qui astabant, dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim:* † *Principem populi tui non maledices.*

† 23.q.1. Paratus.

† Exod. 22.d.

Adductis in concilium Paulus, non iam Tribunum, sed omnem populum, omnemque alloquitur multitudinem, dicens: Nil mihi conscius sum, quòd vestrum quenque offenderim, aut quid vinculis dignum commiserim. Græcè est, ἐγὼ πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ θεῷ, id est, vt Budæus vertit: Ego omni conscientia bona munere meo functus sum Deo. πολιτεύεσθαι autem hoc loco significat non simpliciter conuersari, quod priuati faciunt, sed creditum sibi munus administrare, vt magistratus faciunt, antistites, cenobiarchi, sacerdotes, curiones: qui vtinam verè cum Paulo dicere possent: Ego omnino bona conscientia credito mihi munere functus sum Deo. Ananias princeps sacerdotum post Ionathan in seditione quadam pontificũ contra sacerdotes pro decimis interfectũ, ægrè ferens Paulũ se iustificantem, coram Tribuno iussit Paulum super os percuti. Cui Paulus: Percutiet te Deus paries dealbate. Super quod ait Raba. Non percutiat, quia prophetia est, & nõ maledictio, Paulo dicente: Benedicite, et nolite maledicere. Et iterum: Benedicite maledicentibus. Hoc autem non solum de Anania, sed & de sacerdotio Iudæorũ accipiendum est, quod pro veteri lege & ficta superficie dealbato parieti cõparat. Cui superaddit Beda: Nõ perturbatione animi motus hoc dixit: quia illud pontificiũ simile parieti dealbato percutiendum erat, & destruendum, superueniente Christi sacerdotio, quod prædicantibus Apostolis est reuelatum, id quod August. Sermo. Do. in monte lib. 1. confirmat. Paulus pontificis iussu

palma percussus, cõtumelioſus est visus dicere: Percutiet te Deus paries dealbate. Quod minus intelligẽtibus cõuitiũ ſonat, intelligẽtibus verò prophetia est. Paries quippe dealbatus hypocrisis est, id est, simulatio ſacerdotalẽ præferens dignitatẽ, & ſub hoc nomine tanquã candido tegmine interiorem quaſi luteã turpitudinem occultãs. Græcè est, τοῖχε κεκονιαμένε. Est autem κονιάομαι, colore illinire, aut opere tectorio inducere & incruſtare, quod & dealbare Cicero dicit. Et quòd nec irato animo, nec ironia dixerit, patet, cũ is qui iudicẽ agere debuiſſet patiens, tyrannũ tñ impatientem agebat. Verũ cùm Paulo improperarent quòd pontifici maledixiſſet, potuit nõ cognouiſſe eũ tanquã pontificẽ, ob longum tẽporis interuallũ, quo apud Gentes & nõ Iudæos conuerſatus fuerat, vtpote per viginti plus minus annos. Sed vt ait Oecume. Ignorantiã ſortè ſimulat, quæ nulli nocet, ſed diſpenſatoria est. De hoc dicit Beda: Dicit ſe neſcire principẽ, quia ſacerdotiũ Iudæorum iam reprobatũ est. Etſi hunc verè nouerat in nouo teſtamẽto principẽ non eſſe ſacerdotũ, tñ eruditès alios modeſtius ſe habere erga eos, quorũ ſunt in poteſtate, tẽperatè reſpondet. Et tñ inquit Eraſmus, ita corrigit ſe, quaſi peccaſſet, vt alios doceret deberi reuerentiam ijs in quorum poteſtate ſumus. Porrò teſtimonium quod adducit, extat Exod. 22. Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices.

†Philip. 3. a. Mat. 22. d

Sciens autem Paulus quia vna pars eſſet Sadducæorum, et altera Phariſæorum, exclamauit in concilio: † Viri fratres, ego Phariſæus ſum filius Phariſæorũ: de ſpe & reſurrectione mortuorũ ego iudicor. Et cũ hæc dixiſſet, facta est diſſenſio inter Phariſæos & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo. Sadducæi autem dicunt non eſſe reſurrectionem mortuorũ, neq; angelũ, neque ſpiritũ: Phariſæi autem vtraque confitentur.

Quoniã hic Ananias pontifex Paulũ nondũ conuictum dãnabat, quẽ Sadducæorum partes fouere Paulus ſciebat, hanc mouet controuerſiã. De hoc enim dicit Euſeb. lib. 2. ca. 23. Ananias autẽ iunior (quẽ pontificatũ ſuſcepiſſe ſuprà diximus) proteruus admodum & inſolens moribus, hæreſim defendebat Sadducæorũ, qui in iudicijs crudeliores Iudæis cæteris videntur. Verũ quia Iudæi

dæi dicere nolebant, quare non iudicant illũ, cogitur se Phariſæũ enunciare, cùm videret pontificẽ in opinione eſſe Sadducæorũ. Apud Iudæos aũt tres erant ſectæ philoſophorũ, Eſſeni, Phariſæi, & Sadducæi. De quibus pluribus philoſophatur Ioſephus. De Eſſenis plurimum de bello Iudaico lib 2. ca. 7. ſed nihil ad rẽ præſentẽ: de cæteris duabus quædã proponuntur dicenda, Phariſæi, vt idẽ Ioſeph. Antiq lib. 13. cap. 9. omnia fato tribuũt, quædã verò in ſua poteſtate eſſe aiũt, vt vel fiant, vel nõ fiãt. Idẽ lib. 18. cap. 2. Phariſæorum victus ſimplex eſt, nullis mollibus delitijs, & quicquid his ratio dictauit, id ſequũtur peruicaciter. Maiores natu venerantur, nec audẽt eis reſponſare monentibus, aut obloqui. Fato quæcunq; geruntur tribuunt, nec tũ homini voluntatis aſſenſum adimunt, hoc tẽperamento Deũ vti dicẽtes, vt cũ omnia fiãt ex ipſius cõſilio, in homine tũ ſit voluntas accedendi ad virtutẽ aut vitium. Animas credunt eſſe immortales, & ſub terris earum iudicia fieri: tũ præmia cuiq; contingere ex virtutis aut malitiæ merito, & has perpetuis dãnari carceribus, illis facilem eſſe ad vitã reditum. Per hæc placita magnã ſibi autoritatem parauerunt apud populum, & quicquid ad ſolẽnes precationes ad cultũ diuinum attinet, iuxta horum interpretationẽ ac præſcriptum fieri ſolet: tantũ habent à ciuitatibus ſapientiæ, tẽperantiæ, & vitæ honeſtioris teſtimonium. de bello Iudai. lib. 2. ca. 7. Hi dicuntur, qui certiorem legalium rituũ notitiã profitentur: & hi primum dogma habent, vt fato & Deo omnia deputent, & quidẽ agere quæ iuſta ſunt, vel negligere, ſecundũ maiorem partẽ eſſe in hominibus profitentur, adiuuare tamẽ in ſingulis & factum. Animã aũt omnem quidẽ incorruptã eſſe, tranſire autem in alia corpora ſolas bonorum, improborũ verò interminabili ſupplicio cruciari. At Sadducæi fatum omnino negant, & e rebus tollunt, dicentes nihil fataliter euenire hominibus, & omnia in noſtra ipſorum poteſtate eſſe, vt tam fœlicitatis nobis ipſi autores ſimus, quàm infortunij, ſi deteriora conſilia ſecuti fuerimus. Sadducæorum opinio cũ corpore ſimul extinguit & animas, nec aliud quicquam præter legem ſeruandam exiſtimant. Nam de ſapientia cum præceptoribus diſceptare ad virtutem deputant. Hu

Phariſæi.

Sadducæi.

ius sectæ pauci sunt, sed ferè dignitate præcipui: ex horũ tamen sententia vix quicquã agitur. Nam quoties magistratus licet inuiti suscipiunt, Pharisæorũ decretis assentiunt: ni facerent, non ferendi à plebeiorũ multitudine. Deum extra omnẽ mali patrationẽ inspectionemq́ue constituunt: aiunt aũt electioni hominũ vel bonum vel malũ esse propositũ, & secundum voluntatem propriam alterũ vnicuiq; contingere. Animarũ aũt generaliter vel supplicia denegãt, vel honores. Et Pharisæi quidem sociales, & qui studeant se mutua dilectione cõplecti: Sadducæi verò & inter se feris morib⁹ discrepãtes, & cõuersatio eorum circa exteros inhumana. Hæc ille locis illis. *Factus est autẽ clamor magnus. Et exurgentes quidam Pharisæorum pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto: quid si spiritus locutus est ei, aut angelus? Et cùm magna dissensio facta esset, timens Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, & deducere eum in castra.*

Sadducæi spititum & angelum negant, ideo in contrarium Pharisęi innuunt, dicentes: Quid si spiritus locutus est ei? in quo arguebant Sadducæos, & quod in Pentateucho pluries fiat angelorum mentio. Et vt ait Oecu. Duplici modo intelligi potest quod dictũ est: Aut enim deest quippiam ad sententię expletionem, vt ita dicatur: Si autẽ spiritus aut angelus locutus est ei, incertum est inquit. Aut tanquam à Pharisæis dicendum est esse verbũ. Si autem spiritus vel angelus locutus est ei, hoc est, quæ de resurrectione loquitur, manifestum est quòd aut per spiritum sanctum, aut per angelũ eruditus sit resurrectionis sermonẽ. Vnde graui facta seditione, timens Tribunus ne vim Paulo inferrent, atq; discerperẽt, eo quòd se enunciauerat esse Romanum, raptus est à militibus, vt tanta præsentia & imminentia vitarent pericula, & in castrum, quo tutius eum defenderent, & tantus furor demulceretur, & discerent per quæ resipiscere possent.

†Inf. 27. c *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: † Constans esto. Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.*

In tantis controuersijs exposito Paulo reuelat illi noctu

tu Dominus, quid circa eius finem decreuisset, propterea iubet eum bono animo esse, quia non minus Romæ, quã Ierusalẽ Christi verbũ defensurus esset, & eorũ quę prædicauerat, fidele testimonium perhibere oporteret.

Facta autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes neque manducaturos neque bibituros donec occiderent Paulum. Erant autem plusquam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant: qui accesserũt ad principẽ sacerdotũ, & seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil gustaturos donec occidamus Paulum.

Pro eo quod est deuouerunt, Græci habent, ἀνεθεμάτισαν, hoc est, anathematizauerũt. Hoc verbũ inquit Beda, quantæ sit authoritatis, norunt qui anathemate sacerdotali à societate Christi & Ecclesiæ alienãtur: quod est ait Chryso. dixerũt se esse extra fidẽ in Deum, nisi quod decreuerant contra Paulum, implerent. Igitur inquit, sem per sunt anathematizati illi: non enim occiderunt Paulũ. Siue ergo occidissent, anathema erant, quia innocentẽ occidissent: siue non occidissent, anathema erant. Vnde Budęus: ἀνάθεσις est dicatio & consecratio, inde ἀνάθεματα dicti sacri homines, quorũ capita dijs inferis dicata sunt & deuota. Sed nec vnus solus Iudæorũ, sed quadraginta anathematizati sunt, qui ad idẽ factũ conuenerunt, cuiusmodi sunt Iudęi, qui in rem bonã vouẽtes vix duo conueniunt, in malã verò plurimi, vel etiam totus populus. Vnde Beda: Cùm Dominus dicat: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã: illi è contra iniquitatẽ esuriũt, & iusti sanguinẽ sitiunt, adeò vt etiã cibos à se abdicent, donec morte iusti satiẽtur. ☼ Sed nõ est sapiẽtia, non est prudẽtia vel consiliũ cõtra Deum. Eripitur. n. Paulus ab eorũ insidijs, vt seruat⁹ Romę testimoniũ reddat christo. ☼ Prou. 21. d.

Nũc ergo vos notũ facite Tribuno cũ cõcilio, vt producat illũ ad vos, tanquã aliquid certius cogniturí de eo. Nos verò prius quã appropiet, parati sumus interficere illũ. Quòd cùm audisset filius sororis Pauli insidias, venit, & intrauit in castra, nunciauitq; Paulo. Vocans autem Paulus ad se vnũ ex centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad Tribunũ: habet enim aliquid indicare illi.

Fraudem aliam in Paulum excogitant, quæ per humanã irritatur prouidentiam. Neq; enim Paulus inquit Aug. de mendacio cap. 15. vitæ suę transitorię consulebat, sed Ecclesiæ Dei, contra illos qui eum occidere conspirauerant, consilium eorum Tribuno vt prodeatur effecit. Neq; tamen Paulus vult cuiquã, neq; etiã Centurioni reuelari secretũ, tanquã à diuina decretum prouidentia.

Et ille quidem assumens eum, duxit ad Tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogauit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. Apprehendens autẽ Tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogauit illum: Quid est quod habes indicare mihi? Ille autẽ dixit:

† 23.q.3. Maximianus.

†Iudæi conuenit rogare te, vt crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. Tu verò ne credideris illis: insidiantur enim ei ex eis viri amplius quàm quadraginta, qui se deuouerunt non manducare neque bibere donec interficiant eum, & nunc parati sunt, expectantes promissum tuum. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ei ne cui loqueretur, quoniam hæc nota sibi fecisset.

Super quod Beda: Paulus licet hostias obtulerit, caput raserit, nudipedalia exercuerit, Iudæis factus est Iudæus, vincula tamen quæ prædicta erant non euasit. Et hic isti quamuis concilia cogant, se deuoueant, insidias tendant, seruatur tamen Apostolus testimoniũ de Christo Romæ redditurus, iuxta Christi promissum. Detecta est igitur virtute adolescentis fraus illorum, qui præsentatus Tribuno sic ait: Constituerunt Iudæi crastina die te rogare, vt in cõsilium iuxta promissum tuum Paulum adducas, quasi diligentius aliquid de eo interrogaturi. Tu verò non acquiescas ijs. Insidiantur enim illi ex eis plusquam quadraginta viri, qui se deuouerunt nunquã comesturos, nisi prius occiderint illum. Et nunc parati mandatum tuum expectantes. Adolescentem his auditis dimisit, prohibens ne cuiquam talia diceret, ne Pauli liberatio, & in Cæsaream deductio impediretur.

Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, vt eant vsque ad Cæsaream, & equites septuaginta,

ginta, & lancearios ducentos, à tertia hora noctis, & iumenta præparate, vt imponentes Paulũ, saluũ perducerent ad Felicẽ præsidem (timuit enim ne fortè raperent eũ Iudæi, et occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, & tanquã accepturus pecuniã) scribens ei epistolam continentem hæc.

Tribunus seditionem fieri metuens, nocte egit quod Iudæos latere volebat, vtpote hora tertia noctis, quam quidam horam tertiam post mediam noctem arbitrantur, alij tertiam horam noctis Iudæorum computo existimant, vt si noctem hora sexta inciperent, nona sequẽs hora tertia diceretur. Iubet ergo centuriones ad tutum Pauli conductũ necessaria præparare iumenta, inquiẽs, Præparate: Græcè, κτήνη τὲ παραστῆσαι. Quanquam Budæus legit παριστᾶναι, quod idem est, id est, præstò iumenta sistite Paulo, scilicet in vehiculum ascensuro, in quo Paulum saluum ad Felicem præsidem mitteret in Cæsaream, vt illic à iudice præcipuo in maiore spectaculo, & clariore auditorio differere possent Iudæi eã causam cõtrouersam, & nullam prætexerent excusationem.

Claudius Lysias optimo præsidi Felici salutem. Virum hunc cõprehensum à Iudæis, & incipiẽtem interfici ab eis, superueniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est: volensq; scire causam quam obijciebant ei, deduxi eum in cõsilium eorũ. Quẽ inueni accusari de quæstionibus legis ipsorũ, nihil verò dignum morte aut vinculis habentẽ crimen. Et cùm mihi perlatũ esset de insidijs quas parauerãt illi, misi eũ ad te, denunciãs et accusatoribus, vt dicãt apud te. Vale.

Tradunt Felicem hunc libertum fuisse Claudij Cæsaris vnicè illi charum, missum in Iudæam procuratorẽ post Cumanum exilio mulctatum. Hic Drusillam prioris Agrippæ regis filiã duxit vxorem, quæ prius nupserat Azizo Emesenorum regi circunciso, cuius nuptias Epiphanes Antiochi Comagenorum regis filius recusauerat, quòd mutata sententia Iudæorum religionem amplecti nollet, vt erat pollicitus puellæ parentibus. Drusilla autem non multo pòst dimissa est ab Azizo ex causa huiusmodi. Felix cùm esset Iudææ procurator, visa hac fœminarũ omniũ, pulcherrima, amore eius captus,

Simonem amicum suum Iudæum genere Cyprium pro mago se gerentem ad eam misit, qui mulierem sollicitaret, vt relicto priore marito ipsi nuberet, beatã fore pollicens, si non fastidiret hominem. Illa malè consulta volens euaderet molestationes sororis Bernices inuidentis sibi formæ præcellentiam, consensit calcata religione patria Felici nubere, natoque ex hoc marito filio nomẽ Agrippæ imposuit. Huius Felicis tempore multæ apud Iudæam ortæ sunt seditiones, quibus Felix quo ad potuit occurrit non sine Iudæorum iniuria. Vnde postquã Felici successor Portius festus à Nerone missus est, primores Iudæorum Cæsaream incolẽtium Romam profecti sunt apud Cæsarem Felicem accusaturi: dedisseq; omnino pœnas iniuriarũ, quibus Iudæos affecerat, nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in precio erat apud principem. Quia hic Tribunus nõ Iudæus, sed alienigena mille hominum caput erat, nõ ad hoc iudex missus erat, vt de morte iudicaret, ideo Paulum ad primarium Iudææ iudicem & præsidem mittit, cum epistola qua eum etiam excusabat: Nisi enim illum è manibus eorum eripuisset, occidissent eum, quanuis nihil morte dignum, quantumuis deduxerint eum in concilium suum, & illum ibidem accusauerint. Vt autẽ apud Felicem innocentior appareat, mittit eum cum accusatoribus suis ad precipuũ Iudææ tribunal, vt auditis à iudice accusationibus, accusatores confundantur, & Paulus innocens tandem appareat.

Milites verò secundum præceptum sibi assumentes Paulũ duxerunt per noctem in Antipatridem. Et postera die dimissis equitibus, vt cum eo irent, reuersi sunt ad castra. Qui cùm venissent Cæsareã, & tradidissent epistolã præsidi, statuerunt ante illum & Paulum. Cùm legisset autem, & interrogasset de qua prouincia esset: & cognoscens quia de Cilicia: Audiam te, inquit, cùm accusatores tui venerint. Iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum.

Cur autem Tribunus Paulum cum tanta miserit securitate, nisi quia illi tanquam innocenti reperto timebat à Iudæorum indicibili inuidia, & illum in nullo iudicaret

dicaret condemnandum. Vnde iussu eius deducũt eum inquit Chrysost. quasi regem quendam lancearijs stipatum cum tanta multitudine in nocte, timentes iram & impetum populi. Cæsarea autem ista Palæstinæ est, de qua sup. cap. 21. distans ab Ierosolymis 30. leucis: ideo non potuerunt huc milites vna die deducere Paulum, sed manserũt Antipatride, quæ est vrbs Palæstinæ in tribu Manasse, quæ olim dicta est Capharsalama, vt. 1. Macha. 7. Exiuit Nichanor obuiam Iudæ in pugnam iuxta Capharsalama. Ea verò sita est in optimo Iudææ cãpo, & diuiti arboribus & fluminibus, inter Diospolim, quæ & Lidda, & Cæsaream Palæstinæ, procul ab Ioppe. 150. stadijs contra orientalem plagam. Iamdudum Tribunus per epistolam suam pro illo rationem reddiderat, & tamen adhuc Iudæi insidiantur: nec tamen soluitur, sed in vinculis accusatores expectat. O Felix, & nimium fœlix, si tunc agnouisses fœlicitatem tuam, quæ se tibi gratis obijciebat, sicut tuus præcessor Cornelius Centurio, qui nec Petrum aduenientem abiecit, sed longè distantem vocauit: tu verò nec Paulum salutis tuæ vocas præconem, sed venientem malè tractas, & in vinculis manere finis. Vnde nunc fœlix viueres, vbi cum Iudæis infœlix cruciaris. Antipatris.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Accusatus Paulus coram Felice à Iudæis, causam agente Tertullo illorum patrono, respondet, obiecta sibi crimina negans, se Christianum confitens, & se de resurrectione iudicari mortuorum. Quem cum audisset Felix & eius vxor Iudæa, reliquit eum vinctum successori suo Portio Festo.

POst quinque autem dies descendit princeps sacerdotum Ananias cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem aduersus Paulum. Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Cùm in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam, semper & vbiq; suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.

Ter-

Tertullus oratorem agens, iudicis primò beneuolentiam captat, iudicem laudibus prꝛeoccupat, verùm an verè, an falsè loquens oret, parum cõsiderat, qui solùm Iudæos reddere innoxios, iudicem applaudere, & fauorem attrahere, accusatum verò reum & culpabilem reddere: vnde à principio seditiosum, & rerum vocat innouatorem, præsidẽ verò adhuc à recta administratione æquissimum, qui tamen multa tyrannicè gereret. Nam & pontificem Ionathan monentem vt pietati daret operam, subornato Dora Ionathæ amico illum in Ierusalem interfecit. Multas in Cæsarea diuitum domos expilauit, alioqui tamen magorum & pseudoprophetarum seductores repressit. Nec mirum est si à tali laudetur oratore ab eo quod nõ est, vt admonitus officij esse incipiat qualis esse debet. Deinde captat beneuolentiam à persona iudicis, dicens: semper & vbique suscipimus cum omni gratiarum actione: ipsumq; laudibus præsertim præoccupat, quasi eum attentiorem reddere cupiẽs, qui de iniusta causa iustam facere tendebat.

Ne diutius autem te protrahã, oro breuiter vt audias nos pro tua clementia. Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditionem omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & authorem seditionis sectæ Nazarenorũ, qui etiã templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare.

Cùm Felix maximè seditiones odio haberet, & in seditiosos sæpissime animaduerteret Tertullus Paulũ imprimis seditionis accusat, vt iudici voluntatem puniendi Paulum immittat, qui non Palæstinam modò, sed totum orbem terrarum in Iudæos concitare non cessat, qui author est sectæ est Nazarenorum, & templum Dei prophanare tentabat, nisi apprehensum prohibuissemus. In quibus Paulum trium præcipuorum accusat, quorum quodlibet morte dignum arbitrabatur. Auertit inquit, quosdam Iudæos à lege patrum suorum, concitatq; inter & legem seruantes controuersiam & seditionem, sed etiam inter Gentes & Iudæos permanentes in lege sua. Est etiam vnus de præcipuis prædicatoribus cuiusdam nouæ sectæ, quam introduxit, Nazarenorum. Vnde Beda:

da: In illo tempore Christiani pro opprobrio Nazareni vocabantur. Postea inter Iudæos surrexit hæresis, quæ dicta est Nazarenorum, qui Christum filium Dei credunt de Maria natum, passum etiam & resurrexisse, omnia veteris legis mandata custodientes, sed dum volunt Iudæi & Christiani esse, neutrum sunt. Accusant postremò prophanationis templi, quamuis septem diebus durante purificatione permanserit in templo. Hunc autem iuxta legem se purificantem, volentes iuxta legem illum iudicare, legem contumelia afficientes. Neque enim inquit Chryso. legis erat percutere, occidere, insidiari.

Superueniens autem Tribunus Lysias cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te venire, à quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. Adiecerũt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere.

Accusat etiam Lysiam Tribunum, qui superueniens cùm percuteretur Paulus, magna vi illum è manibus eorum eripuit Cui nec conueniebat hanc rem cõtra legem nostram facere, quam tamen fecit, vt ait Chryso. Ex quo poteris diiudicans de his omnibus cognoscere, de quibus nos accusamus illum. Græcè est ἀνακρίνας, quod magis hic quadrabat, interrogãs, siue facta interrogatione, quàm diiudicans. Ad hæc autem adiecerunt Iudæi, asserentes hæc ita se habere.

Respondens autem Paulus (annuente sibi præside dicere.) Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem. Et neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in ciuitate: neq; probare possunt tibi de quibus nunc me accusant.

Paulus autem ad hæc minimè tacet, sed annuẽte præside liberè ad hæc singula respondet. Sciens te ex multis annis huic genti cõstitutum esse iudicem, tribus ad minus annis, æquiore animo spero me de rebus meis satisfacturum: Græcè, εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμαυτὸ, seu περὶ ἐμαυ-

ἐμαυτῦ ἀπολογοῦμαι, id est, æquiore animo pro mea causa respondeo. ἀπολογοῦμαι enim præsentis est temporis: inde ἀπολογία, oratio, qua se reus corâ iudice defendit. Non sunt inquit Chrysosto. hæc adulationis verba, testificare iustitiam iudici, sed illa magis, quòd multa pace potiantur per eum. Satisfacturus itaque Paulus tribus obiectis, cuiq; sigillatim respondet: sciebat enim nihil eorum fecisse, quorum accusabatur. Primo sic respondet obiecto: Quoniam si quam fecisset in vrbe Ierosolyma seditionem, ipse præses sciuisset, quia à duodecim diebus Ierusalem ascendisset, ideo recentissima esse seditio, quæ ignorari propterea tam citò non poterat. Verùm quia accusator non poterat recentem fuisse seditionem probare, mendacium finxit, quòd videlicet Paulus omnibus Iudæis in vniuerso orbe dispersis mouerat seditionem. Cui satisfacit Paulus, quasi per hoc rationem reddens: Tantum abest vt seditionem in Iudæos propter eorum legem concitassem, quia pro legis tuitione & impletione ascendi adoraturus iuxta legem in templum. At neque in templo, neque in Synagogis, neque in ciuitate inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concionantem, neque tumultum aut concursum quenquam ab aduẽtu meo possint probare fuisse in vrbe, nisi quem ipsi aduersum me iniustè fecerunt.

Confiteor autem hoc tibi, quòd secundum sectam quam dicunt hæresim, sic deseruio patri & Deo meo, credens omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant resurrectionem futuram iustorum & iniquorum: in hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper.

Aduerte quòd idem est αἵρεσις Græcè, quod secta Latinè: quomodo igitur dicit, secundum sectam, quã dicunt hæresim. Sciendum itaque quòd Græcè est, κατὰ τὴν ὁδὸν, id est, iuxta viam, pro secundum sectam. Pro eo autẽ quod dicit, patri & Deo meo, Græcè est, τῷ θεῷ πατρῴῳ μου, id est, Deo patrio siue paterno meo, scilicet quem coluerunt patres mei. Hic igitur Paulus ad secundum respondet obiectum, de secta scilicet Nazarenorũ.

Vnde

Vnde Beda: Sic deseruio patri Deo: non enim conuenit eum qui Græcè locutus est, dicere sectam quam dicunt hæresim, sed deseruio patri siue patrio Deo secundũ illam viam, quam increduli hæresim, id est, sectam vocãt, quasi magis habeant pertinaciã quælibet sectandi, quàm industriam recta cognoscendi, scilicet veram sectam Nazarenorum, quæ iuxta legem & prophetas ortũ habuit. In quo ostendit eundem esse Deum veteris & noui testamenti, quem lex & prophetæ nunciauerunt, & quem Paulus in sua secta prædicabat, asserens se credere vniuersis quæ in lege Moysi & prophetis scripta sunt: in quibus latenter Christum induxit. Sed interim in sermone de resurrectione versatur, quam hi ab exordio oppugnabant, quo probato facilè innuit Christum resurrexisse: quem & Iudæi, & præsertim Pharisæi expectant in resurrectione mortuorum, in qua iusti in æternum præmium accipient salutis, iniqui verò damnationis. In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere, &c. Græcè est, ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ ἀπρόσκοπον συνειδησιν ἔχειν, id est, interim autem meditor conscientiam habere inoffensam. ἀσκῶ enim meditari est, & exercere se in re aliqua.

Post annos autem plures eleemosynas facturus in gentem meam veni, & oblationes & vota, † *in quibus inuenerũt me purificatum in templo, non cum turba, neq; cum tumultu. Et apprehenderunt me, clamantes, & dicẽtes: Tolle inimicum nostrum. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberet aduersum me, aut hi ipsi dicant si quid inuenerint in me iniquitatis, cùm stem in concilio, nisi de vna hac solũmodo voce, qua* †Su.23.b *clamaui inter eos stans: Quoniam* † *de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à vobis.* †Su.21.c.

Tertio satisfacit obiecto, quo templum prophanasse insimulabant Paulum, & ipsum violare nitẽtem. Ascenderat enim post plures annos Ierosolymam, vtpote 23. annos à sua conuersione. Cur autem ascenderit, insinuat, quia adoraturus genti suæ eleemosynas longo collectas labore facturus, & oblationes ac vota templo legis intuitu oblaturus, quo nõ seditionis me accusare possunt, aut

aut templi prophanationis, imò honoris. In quibus faciendis me inuenerunt absq; turba & quouis tumultu: & talia deuotè facientē me cōprehenderunt ignominiose. Qui aūt me cōprehenderunt Iudæi, quidā ex Asia erant, quos oportebat hic præsentes adesse, vt si quid cōtra me haberent, corā te afferrēt: vel qui nunc palàm accusant, dicāt quid in me iniustum inuenerint, cùm stem in concilio pro vnica voce qua clamaui: De resurrectione mortuorum ego iudicor. Super quod Raba. hoc per antiphrasim. Sciebat enim hoc eis placere. quasi dicat, nihil commisi, nisi quia prædicaui quod & ipsi credunt. Hæc erat inquit Chrysost. abundans iustificatio, nō fugere ab accusatoribus, sed paratum esse ad reddendum rationem omnibus. De resurrectione inquit, mortuorū ego hodie iudicor à vobis. Et nihil dixit eorum quę meritò poterat dicere, quòd insidiati sint, & benefacientem comprehenderint: quod nō erat prophanare. Nec enim idem sunt adorare & purificari, quod violare & prophanare: quod maximè causam confirmasse videtur.

Distulit autem illos Felix, certiùs sciens de via hac, dicens: Cùm Tribunus Lysias descenderit, audiā vos. Iussitq; Centurioni custodire eum, & habere requiē, nec quenquàm de suis prohibere ministrare ei.

Felix itaque distulit in præsentiarum ferre sententiā, & hoc dedita opera, cui perspicua erat Pauli innocentia, sed nolens punire illum, nec Iudæos repellere, Tribunum Lysiam finxit expectandum, vt causam apprehensionis Pauli melius agnosceret. Nec necesse habebat expectare Tribunum, à quo audierat per literas de Pauli innocentia. Itaq; tam Tribunus, quàm ipse præses iudicabat Paulum à criminibus sibi impositis liberandum. Iussit tamen Centurioni, vt illum custodiret, Iudæis gratificans, vel etiam expectans pecuniam Iudæis procurātibus à Paulo se accepturum. Hanc autem causatur expectationē, quia Tertullus Lysiæ meminerat. Iussit itaq; Centurioni custodiā eius, & ne quempiam sociorū eius prohiberet eum adire, & quæcunq; vellet ministrare.

Post aliquot aūt dies veniēs Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem

quæ

quæ est in Christum Iesum. Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersiam te simul & sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo: propter quod & frequenter accersens eum loquebatur cum eo. Biennio autem expleto accepit successorē Felix Portium Festum. Volēs autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

De Felice & Drusilla dictum est cap. 23. superiori. Ex eo autem quòd Iudæam Felix haberet vxorem, libēter audiebat Paulum de fide in Christum, quæ veteri testamento vsquequaque conformia erant. Nouerat enim Felix Christi fidem, diligenter instructus ex veteri testamento in his quæ Christianæ sunt fidei. Tanta autē erat verborum Pauli vis, ait Chryso. dum de iustitia, castitate, & futuro iudicio differeret, vt etiam præsidem attonitum redderet, Quamuis autem Felicem Gentilem futuri iudicij memoria perterrefaciat, pecuniæ tamen cupiditas illi ad salutem est impedimento, futuræque mortis delet memoriam: sperabat enim à Paulo se acceptu-rum pecuniam. Quare non magis quærebat quo pacto ante illud tremendum tribunal staret intrepidus, quàm pecuniam, vel Iudæorum fauorem. Et tamen non ita hoc iudicium obliuioni dabat, quin aliquando memoriæ reuocaret, & Paulum accerseret, & cum eo colloqueretur, vsque ad biennium, quo expleto Felici succesit Portius Festus. Vt autem Iudæis faueret, Paulum semper vinctum reliquit. Pro quo Græcè est, χάριτας καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις. Verbum Græcum magis significat gratiam à Iudæis inire, quàm illis gratiam præstare, quod miror à multis non animaduersum. Cur autem acceperit successorem, diximus superiori capite.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Iudæis insidioſe petentibus Paulum, Ieruſalem reduci non concedit Feſtus, ſed Cæſareæ accuſationem audire & excuſationem decreuit. De quibus Paulus interpellatus Romam appellat, cuius tamen cauſam Agrippa audire lætus cupiuit.

Festus ergo cùm venisset in prouinciam, post triduum ascēdit Ierosolymam à Cæsarea, Adieruntq; eum principes sacerdotum, & primi Iudæorum aduersus Paulum, & rogabant eum, postulantes gratiam aduersus eum, vt iuberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes, vt interficerent eum in via. Festus autem respondit seruari Paulum in Cæsarea, se autem maturius profecturum. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent.

Felici succesit Portius Festus, à Nerone primo imperij sui anno in Iudæam missus: quam vt inquit Iosephus, offendit totam afflictam latronibus vicos passim populantibus, quorū ferocissimi appellati sicarij tunc ad maximum numerum excreuerāt. Hic autem vt primùm Cæsaream aduenit, post triduum Ierusalem visere illi in animo fuit: adieruntque eum principes sacerdotum: vbi Græci habent, ἐνεφάνισαν δὲ αὐτῷ, id est, significarunt ei, idque priuatim. Pro quo interpres legisse videtur ἐντυχόσαν, id est, adierunt, quod incongruum non admodum mihi videtur, cùm etiam eodem verbo vsus sit, cùm res Agrippæ narrantur. Cùm igitur Ierosolymis esset, primores Ierusalem postulauerunt à Festo aduersus Paulum fauorem, vt scilicet accerseret eum à Cæsarea in Ierusalem, intendentes insidias, vt eum in via interficerent. Respondit Festus Paulum optimè asseruari Cæsareæ propterea si qui sint eum accusaturi cuiusuis criminis, huc nobiscum descendant.

Demoratus autem inter eos dies non amplius quàm octo aut decem, descendit Cæsaream: & altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci. Qui cùm perductus esset, circunsteterunt eum qui ab Ierosolyma descenderāt Iudæi, multas & graues causas obijcientes, quas nō poterant probare, Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legē Iudæorum, neq; in templum, neq; in Cæsarē quicquā peccaui.

Maiores Iudæorum nulli parcentes labori non grauati sunt descendere in principatum Festi, Cęsaream videlicet Palestinæ, distantem ab Ierosolymis 30. ad minus

leucis.

leucis. Prius verò quàm ab Ierosolymis descēderet Cæsaream, mālit Ierosolymis circiter decem dies, in quibus omni via tentauerunt eum corrūpere, vt illis daret Paulum, vel saltem illum morte afficeret. Timentes aūt Pauli linguam, quàm sciebant eloquentem, & quasi verbis inuincibilem, vrgebant præsidem ad dicendā contra Paulum mortis sententiam, vel saltem ad concedendum illi in Ierusalem reditum, insidiantes illi in via. Redditus autem Cæsareæ Festus sedit pro tribunali, vt Iudæorum aduersus Paulum audiret accusationes die sequēti quo Cæsaream redijt: quem Iudęi magno vrgebant studio, plurimis Paulum accusationibus infestantes, quarum nullam penitus probabant. Quæ autem fuerint accusationes, patet ex respōsione Pauli, quia vel in legem, vel in templum, vel in Cæsarem peccasset: quas cùm nō probarent, apertè negat. Quamobrem Festus à Iudæis accusari timens, sicut Felix prędecessor suus, & plures alij, gratificatur illis quàm maximè potest, nec Paulum absoluens, nec illum iudicans.

Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari: Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, nō recuso mori: si verò nihil est eorum quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum concilio locutus respondit: Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.

Festus autem quodam honore Paulum attrahere cupiens, non dat Iudæis Paulum, nec eum Ierosolymā iudicandum remittit, sed optioni eius totum tribuit, an Ierosolymam ascendere vellet, & de his omnibus apud eum iudicari. Respondens Paulus ait: Eiecerunt me semel ab Ierosolymis, & cùm nil aliud habeant cuius me accusent, nisi quia peccaui in Cæsarem. Quòd si in eum peccauerim, apud eundem, quem læsi, cupio iudicari: ad cuius asto tribunal. Super quod ait Comestor: Erat autem sedes in Cæsarea, iuxta quā stabat Paulus, quā parauerat Herodes Cæsari, vt in ea sederet, si quādo veniret

in Cæsaream, vel quos mitteret iudices. Inde perstringit illum quasi Iudæis fauentem, nihil inquiens Iudæis nocui, sicut tu melius nosti: quid causæ est igitur vt tradar illorum iudicio, qui mortem meam omni via appetunt? Si quid morte dignum feciſſe conuincor, non recuso mortem, contra me fero sententiam, tanquam de mea innocentia multum mihi conscius. Non dixit indignus sum morte, nec cupio absolui, sed quia iudicem in accusatorum partes paululum declinare videbat, ideo dixit: Cæsarem appello. Quo audito, Festus cum cõsiliarijs inito cõsilio respondit: Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.

Et cùm dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum, & cùm dies plures ibi morarẽtur, Festus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice vinctus, de quo cùm essem Ierosolymis, adierunt me principes sacerdotum, & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum damnationem. Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumq; defendẽdi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obiciuntur.

Hic Agrippa, inquit Beda, filius erat Herodis Agrippæ, quem ab angelo legimus sup. 12. cap. percussum, qui vsq; ad subuersionẽ Ierosolymorũ regnũ Iudææ tenuit, semper Romanis amicus, & ab omni illa Iudæorũ seditione tutissimus. Eodem tẽpore inquit Ioſephus, Agrippa rex extruxit insigni amplitudine domũ prope porticũ in regia Ierosolymitana, quę Assamonæorũ fuerat, sitã in edito loco, vnde amœnissimus prospectus patebat contemplari vrbẽ volentibus, cuius voluptatis rex cupidus è cubiculo spectabat quicquid circa templũ fieret. Id vbi viderunt Ierosolymitani proceres, tulerũt indignissimè: neq; enim leges nostræ concedunt spectari quid agatur in tẽplo, præsertim sacrificia. Quamobrem altũ parietem excitauerũt super exedrã, quæ erat in interiori tẽplo, versa ad solem occiduũ. Hæc non solùm regij triclinij prospectum arcebat oppositа, verùm etiã occidentalis extra templum sitæ porticus, vbi festis diebus Romani statio-

nes

nes habebant ad templi custodiam. Quo facto inquit Comestor, Agrippa Iudæis infestus descendit in Cæsaream, non tam ad salutandum Festum, quàm rogaturus vt parietem illum obrueret. Inde offensus etiam Festus iussit parietem dirui. Ciues verò ab Imperatore missis legatis impetrauerunt ne dirueretur. Bernice verò filia Agrippæ filij Aristoboli, soror Mariammes & Drusillæ, & huius Agrippæ soror, nupta primò fuit Agrippæ patruo suo: deinde cùm vidua in suspitionem venisset stupri cum Agrippa fratre, nupsit Polemoni regi Ciliciæ. Post aliquot itaque dies regi Festus Pauli causam retulit. Quo audito rex desyderat videre & audire Paulum, quem Iudæi ægrè videbant. Ideo inquit Festus, postulauerunt à me Iudæi aduersus illum sententiam. Quibus respondi, Romanis morem non esse quempiam donare hominem ad necem, nisi partes audiantur.

Cùm ergo huc conuenissent, sine vlla dilatione in sequenti die sedens pro tribunali iussi adduci virum. De quo cùm stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum: quæstiones verò quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Ierosolymam, & ibi iudicari de istis. Paulo autem appellante vt seruaretur Augusti cognitioni, iussi seruari eum donec mittam eum ad Cæsarem.

Narrans Festus Agrippæ vniuersam rei causam, partim Paulum absoluit, partim Iudæos perstringit, quorum accusationes in nullo iudicium perurgebant: multas enim tales adduxerunt, sed non conuicerunt. Et de quodam Christo inquit: Meritò de quodam inquit, vtpote principatum gerens, taliaq; minimè curãs. De quibus etiam hæsitans quærit à Paulo si vult reuerti Ierosolymam. Et si hæsitas inquit Chrysosto. & anxius es, cur Paulum in Ierusalem trahis? Propterea Paulus nolés ab eo tanquam fautore hostium iudicari, dixit: Ad tribunal Cæsaris sto, Meminerat enim inquit Clarius, se à Domino admonitum, oportere, vt & coram Cæsare testimonium de ipso proferret: cuius rei implendæ nunc

opportunitatem oblatã intelligens, nihil cunctatus Cæsarem apppellauit. Quę omnia Agrippam in desiderium audiendi Paulum excitarunt.

Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras inquit, audies eum. Altera autem die cùm veniſſet Agrippa & Bernice cum multa ambitione, & introiſſent in auditorium cum Tribunis & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo adductus eſt Paulus.

Mirabile præparatur Paulo auditorium, qui tamen innocens iam declaratus eſt. Aſsiſtit enim rex ſuis ſtipatus miniſtris: aſsiſtit & princeps cum Tribunis ſuis & primoribus ciuitatis, coram quibus adducitur & Paulus, qui à Feſto nec ſolùm non accuſabatur criminum, ſed & pro eo ipſe rationem reddit. Quod autem dicit, cum multa ambitione, inquit Beda, pro ambitione in Græco eſt, μετὰ πολλῆς φαντασίας, id eſt, multiplici cum apparatu & pompa regalis officij, qua illam ambiente vndique ſtipabatur.

Et dicit Feſtus: Agrippa rex, & omnes qui ſimul adeſtis nobiſcum viri: Videtis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Ieroſolymis, petentes & acclamantes non oportere eum viuere amplius. Ego verò cõperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Ipſo autem hoc appellante ad Auguſtum, iudicaui mittere. De quo quid certum ſcribam Domino, nõ habeo. Propter quod perduxi eum ad vos, & maximè ad te rex Agrippa, vt interrogatione facta habeam quid ſcribam. Sine enim ratione mihi videtur mittere vinctum, & cauſas eius non ſignificare.

In his omnibus Feſtus Iudæos vehementer accuſat, Paulum verò nec ſolùm excuſat, ſed illum prorſus abſoluit. Cùm illum morte dignum clamarent, hunc nil morte dignum feciſſe comperit, quantumuis inquiſitionem fecerit. Vnde Romam veretur mittere vinctum, niſi & vinculorum cauſam mittat, ne & apud Cæſarem cenſeatur imprudens & ridiculus. Quem enim Iudæi clamabant oportere mori, Feſtus oſtendit recte appellaſſe. Propterea inquit Feſtus, adduco vobis eum examinandum, vt cum conſilio veſtro habeam quid ſcribam.

CAPV

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Paulus coram Agrippa se iustificans, suam conuersionem ordine narrat, & se Iudæis ac Gentibus Christum prædicatione ostendit: vnde cum Festus illum nimia scientia insanire diceret, respondit se velle omnes auditores esse similes illi Christianos. Vnde Agrippa iudicat illum, nisi appellasset, debere dimitti liberum.

AGrippa verò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere. De omnibus quibus accusor à Iudæis, rex Agrippa, æstimo me beatum apud te, cùm sim defensurus me hodie, maximè te sciente omnia quæ apud Iudæos sunt, consuetudines & quæstiones: propter quod obsecro, patienter me audies.

Iudæis multo secius quàm expectabant accidit. Paulum enim intendebant probare sceleratum, qui persecutione illorum innocens repertus est: quem læsæ maiestatis accusabant, eorum accusatione ab omni ne dicam vitio, sed omni suspitione immunis declaratus. Ideo æquum nactus iudicem, permittitur se ab omnibus accusationibus purgare. Tutè igitur loquitur absque assentatione, se beatum reputans, qui loquitur coram iudice, qui & mores & ceremonias Iudæorum ac querelas iamdudum agnouit, & non sicut Felix aut Festus alienigenæ, qui Iudæorum quæstionibus fauere videbantur, & propterea illũ semper vinctum etsi innocentem tenebant. Magna igitur libertate inquit Chrysosto. loquitur Paulus, non assentans, sed propter hoc se beatum dicens, quòd loquatur ei qui omnia sciat propter quæ à Iudæis apud regem accusatur, quæstiones scilicet Iudaicas, atque mores & consuetudines eorum: contra quas obsecrat patiẽter audiri, omniũ rationẽ redditurus. Hiero. de optimo genere interpre. paulo secus legit. Paulus Apostolus inquit, præsente rege Agrippa de crimini bus responsurus, quod posset intelligere qui auditurus

erat, securus de causæ victoria statim in principio sibi gratulatur, dicens : De omnibus quibus accusor à Iudæis, ô Rex Agrippa, existimo me beatum, cùm apud te sim hodie defendendus, qui præcipuè nosti cunctas quæ in Iudæis sunt consuetudines & quæstiones. Legerat enim, inquit, illud Isaiæ: Beatus qui in aures loquitur audientis: & nouerat tantũ oratoris verba proficere, quantum iudicis prouidentia cognouisset.

Et quidem vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, nouerunt omnes Iudæi, præsciẽtes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus. Et nunc in spe quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus, in qua duodecim tribus nostræ nocte & die deseruientes sperant deuenire : de qua spe accusor à Iudæis Rex.

Qui nil sibi conscius est Paulus, audenter & liberè loquitur. Quomodo inquit, seditiosus fuissem inter eos, quos in testes vitæ meæ præteritæ inuoco, & adolescentiæ meæ illorum acceptum habeo sufferre præsens testimonium. Quòd si me accusent fuisse discolum, sicarium, aut vagum, testes sunt, quia secundum exactissimam eorum sectam vixi religiosus Pharisæus, quibus credo, qui conuersationem meam ab initio nouerunt, si ferre velint testimonium. Cur igitur tantum in me inuehunt inquies ? De spe repromissionis patribus nostris facta. Prædicare enim Christum nil aliud erat, quàm annunciare spem ad patres nostros per propbetas factam esse in Christo impletam, cuius summa est resurrectio mortuorum, cui inimici Iudæi dum ei resistunt, manifestò aduersantur. Ad quam probandam duas adducit rationes : Primam ex prophetis, quam velut oraculum pro certissima fatentur. Alteram ab affectu, vt infrà dicetur. Quo ad primam : Quid causæ est quòd huius spei resurrectionis me accusent, cùm duodecim tribus nostræ die noctuque seruiendo se sperant ad eam peruenturas resurrectionem, quam pro certissima ex pluribus à nostris prophetis iampridem suscitatis fatentur. Cùm igitur vita mea non esset dissimilis vitæ eorum,

eorum, nec spei aut fidei eorum, cur me expetunt à te iudicari?

Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? Et ego quidem existimaueram me aduersus nomẽ Iesu Nazareni debere multa cõtraria agere: †*quod & feci Ierosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta, & cùm occiderentur detuli sententiam, & per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare, & amplius insaniẽs in eos, persequebar vsque in exteras ciuitates.* †Sup. 9. a

Alteram subdit rationem: Cur incredibile inquit, iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitet, cùm hæc opinio apud vos in confesso sit: in qua si qui nõ educati fuissent, nunc culpæ eorũ tribueretur. Nam si Deũ omnia posse fatemur, quod & ethnici non negant, cur mortuorum resurrectionẽ negabimus, cùm plurimos Deus ante suscitauerit in exemplum futuri Messiæ suscitandi. Quòd si qui antè resurrexerint, quid criminis est Christũ resurrexisse fateri. Nihilominus Iudæi magis odio, quã zelo in Iesum illum Nazarenũ exarserunt, & me tan quã ministrũ suum ad Nazarenos persequendos delegerunt, quorum plures blasphemare, & Iesum Nazarenũ esse Christum & Messiam negare, alios in carceres detrusi, in alios qualiter occidi deberent sententiam tuli, nec Ierosolymis tantùm, sed in exteris nationibus, nec meo tantùm iudicio, sed & sacerdotum iussu hæc exequebar, quos in testes palàm profero, & in suam committo fidem.

In quibus dũ irem Damascũ cũ potestate & permissu principum sacerdotum, die media, in via, vidi, rex, de cœlo supra splendorem solis circunfulsisse me lumẽ, & eos qui mecum simul erant, omnesq; nos cùm decidissemus in terram, audiui vocem dicentem mihi Hebraica lingua: † *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Sed exurge, & sta super pedes tuos.* †Sup. 9. a & 22. b.

Probat Paulus se testem fide dignum, quantumuis

Iesum impugnaret, in eius legem & euangelium insaniret, & plurima in eum faciens expugnaret credentes, suaderet blasphemias, principes, ciuitates, & cūcta in eū animaret, nullumque lapidem non moueret ad eius legem extinguendam, cùm subitò mutatus est in alterum virum, & qui secum aderāt testes adducit: vnde his auditis non potuit nō credidisse. In meridie enim inquit, cùm irē Damascū iussu quidem sacerdotum, vidi circunfulgentem me & eos qui mecū erant lucē supra solis splendorem lucidam: cuius fulgore cùm cecidissemus in terram, audiui vocem Hebraica me voce compellantem: Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulū calcitrare. Hucusque inquit Rab. sine stimulo restitisti: sed nunc si resistis, contra stimulum calcitrabis, quod, satis durum est. Stimulus enim est ipsa correctio, vt Ecclesiast. 12. Verba sapiētium sicut stimuli. Hanc historiam narrat Paulus suprà 9. & 22. in quarū qualibet aliquid addit vel minuit: quas facile cōcordare. In quibus Christi sibi loquētis resurrectionē manifestè annūciat, testes qui secū erāt, & secum lapsi sunt præfulgore adducit, si præteritis nolint credere prophetis. Igitur inquit, quod ego refero nū resurrexit à mortuis, nō à prophetis modò, qui hoc annunciarunt, sed à viuentibus apertè ostendo. Sermonem itaque, qui idem est cū prophetarum dictis fideliter accipite. Scisciranti autem mihi: Quis es Dñe? Ego sum inquit, Iesus Nazarenus, quē tu persequeris. Sed exurge, & sta super pedes tuos. *Ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorū quæ vidisti, & eorū quibus apparebo tibi, eripiens te de populis & Gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorū, vt conuertātur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum, vt accipiant remissionē peccatorū, & sortem inter sanctos per fidē quæ est in me. Vnde rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni,* † *sed his qui sunt Damnasci primùm, & Ierosolymis, & in omnē regionem Iudææ, & Gētibus annunciabā, vt pœnitentiā agerēt, & cōuerterentur ad Deū, digna pœnitentiæ opera faciētes.*

† Sup. 13. & 14.

Inde efficax adducit Christi viuentis testimoniū, tam ex visu, quàm ex auditu: in quo cōsydera inquit, Chry-

sosto.

sto. quàm mansuetè loquitur illi Deus. Apparui inquit, tibi, vt constituam te ministrum ac testem & eorum quæ vidisti, & eorũ in quibus appareo tibi, eripiens te à populo Iudæorum, ac Gentibus ad lucem, & a potestate Satanę ad Deum. In quibus ostendit mala quibus increduli constringuntur, Satanam inquam, & tenebras: sicut & bona credentium, lucem Deum, & sanctorũ sortem. Quibus inquit, credidi, hac me visione adduxit, & tandem persuasit, vt nihil amplius differrem: nec solùm vt eos ad pœnitentiam hortarer, sed ad mirabilem vitã, dignis pœnitẽtiæ operibus incumbentes. In quibus nec inobediens fui, nec negligens.

Hac ex causa me Iudæi cùm essem in templo, † *comprehensum tentabant, volentes me interficere. Auxilio autem adiutus Dei vsque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori, nihil extra dicens, quàm ea quæ prophetæ locuti sunt, futura esse & Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus est populo & Gentibus.* †Sup. 21.c.

Vt autem sermo Pauli adulatione careat, totum quod factũ est Deo ascribit, qui nihil prorsus egerit, quin iussu diuino, & quasi coactus fecerit, & qui non nisi sancta, & iuxta legẽ eorum docuerit. Quomodo igitur alios optimã vitã docens seditionis & contentionis author fuisset. His tñ non obstantibus Iudæi illum in tẽplo apprehenderunt, & nisi Dei nactus fuisset auxilium, ipsum interfeciſſent. Cuius tamen auxilio vsq; in hunc diem tam paruo quàm magno prædicabat, sed nil aliud, quã quod prophetæ vnanimes prædixerant futurum, & imprimis Moyses eorũ legislator, quòd scilicet passurus erat Christus, & primus ex resurrectione mortuorum futurus. Primus siquidem resurrexit, non amplius moriturus. Quia ✣ Christus resurgens ex mortuis iam nõ moritur, mors illi vltrà non dominabitur: licet pleriq; tã in veteri quã nouo testamento, siue per Christum multi suscitati sint, amplius tamen morituri, vniuersalem expectantes resurrectionem. Nec immeritò igitur Christus dicitur primus ex resurrectione mortuorum, siue primitiæ dormientium: vt 1. Corinth. 15. ✣ Nunc autem Christus resur- ✣ Roma. 6. a. ✣ 1. Cor. 15.

resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Exquo manifestum illis denunciat, quòd non minus expectare debeant, qui prophetis credere non diffitentur.

Hæc loquente eo, & rationem reddente, Festus magna voce dixit: † *Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Et Paulus: Nō insanio inquit, optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor. Scit enim de his rex, ad quem constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quicquam horum gestum est. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis.*

†Inf.12.e

Videns Festus libertatem qua Paulus regem alloquebatur, existimauit hunc aliquid siniſtri passum, quod insaniæ tribuebat: ideo ait, insanis Paule. Insaniæ deputabat, inquit Bed. quòd homo vinctus loco defendendi accepto non de calumnia, qua premebatur externis, sed de cōscientia, qua intus gloriabatur, sermonem faceret, atq; omnia reuelationis, qua de persecutore in Apostolū mutatus erat, miracula percurreret: sed & dispensatione nostri redemptoris ostensa, de resurrectione mortuorū concionantis habitu impetuque dissereret. Adeò enim vox illa Pauli furore & ira plena erat, licet directa ad regem, vt aliquantulum motus sit Festus, libertatem eius intuitus ex animi perturbatione & ira manantē. Ideo inquit: insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Pro conuertunt, Græcè est περιτρέπει. Est autem περιτρέπω, circumago, & retrorsum ago, atque in errorem induco. Sensus ergo est: Multæ te literæ è sana mente ad insaniam redigunt, & retrò agūt. Et licet asperè illum arguret Festus, mansuetè tamen illi respondet. Non insanio inquit, optime Feste, sed veritatis ac sobrietatis verba loquor, contrà id quod Festus improperat, insaniam & furorem, non cum adulatione, sed cum reuerentia, qualem decet Imperatoris vicarium. Inde docet causam ob quā ad regem Agrippam sermonē direxit. Scit enim inquit, ipse rex, apud quem etiam liberè loquor. Latere enim eum nihil horum quæ facta sunt, quæ nec etiam in angulo sunt facta, quæ etiam vos scire oportebat primos, sed noluistis, iuxta illud: ✠ Consydera opera Dei, quòd nemo possit corripere, quē ille despexerit. Credis inquit,

✠ Eccle-siast.7.b.

rex

rex Agrippa prophetis? Scio quòd credis. Non hæc adulando, vt quidam putant, ait Bed. sed verè profatur. Agrippa enim vtpote Iudæorum ritu & legibus imbutus credebat vera locutos esse prophetas, sed ad quem eadē veritas pertingeret, id est, Dominum Christum vt perfidus nesciebat: quamuis in cōcione quadam cum Iudæis habita dixisse legatur: Sed de religionis auxilio præsumitis, cùm iam orbem discipuli Iesu repleuerint, haud sine Dei nutu putamus illam crescere religionem. Hæc ille, post quem Glos. ord.

Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri. Et Paulus: Opto apud Deum & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales qualis & ego sum, exceptis vinculis his.

Breui inquit oratione, & compendiosa doctrina, ac sine multo labore mihi persuadere tentas, vt legem sequar Christianorum. Cui Paulus respōdet optare se siue paucis, siue multis verbis opus sit, omnes agnoscere Christum, fortè significans exiguum esse quod hactenus audierat, præ ijs quæ de re illa dici possent: qui si vellet his plura audire, & vberiore hac doctrina frui, se non ob id defatigari, sed promptum & alacrem ad dicendum inueniret. Potest etiam illud: in modico suades me Christianum fieri: sic intelligi: Parum abest quin mihi persuadeas, & nihil propius factū est, quàm vt me feceris Christianum. Nec pauco inquit Paulus, sed etsi opus esset maiore, optarim te fieri Christianum. Omnino promptus sum inquit Oecume. omnia facere pro salute, non tua solùm, sed & omnium qui præsentes sunt: verùm & tales qualis ego sum, exceptis vinculis his: non qui auersaretur vincula pro Christo, aut erubesceret, aut molestè ferret, quod illi erat quiddam quasi magna gloria dignum, sed ad illorum suspitionem respiciens dicit & demittit ad eorum opinionem & infirmitatem.

Et exurrexit rex, & præses, & Bernice, & qui assidebant eis: & cùm secessissent, loquebantur ad inuicem, dicentes: Quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si nō appellasset Cæsarem.

Qui

Qui nuper Paulum insanum dicebant, pro eo suffragia ferunt, absoluentes eum tanquam innocentem, qui nec quidpiam morte aut vinculis dignum admiserit, & ideo illum prorsus impunè dimisissent, nisi Cæsarem appellasset. Et inter illos primus Agrippa absoluit, tanquâ regia fultus dignitate, & qui fertur fuisse vir prudens & pius, & qui audito Paulo aliquantulum inclinatus est ad credendum Christum. Legitur enim in Ecclesiastica historia, quòd imminente Ierosolymorum excidio, Ecclesia quæ in Ierosolymis fuerat congregata, responso à Deo accepto emigrare iubetur, & transire ad oppidum quoddã Pellam nomine, trans Iordanem, in regnũ quidẽ Agrippæ, quos ibidem benignè suscepit. Et cùm ipse cõfœderatus esset Iudæis, ibi fuerunt benignè susceptì, & pacificè tractati. Paulũ itaq; libenter dimisissẽt liberũ, nisi Cæsarem appellasset, alioqui pars eius aduersa mortem eius intentabat, & eũ tanquam morte dignum persequebatur: quamobrẽ nec eum præses poterat absq; suo graui periculo dimittere liberũ: sed neq; vinculis eum soluere. Quod singulari quidẽ dispensatione Dei factũ est, non solùm quòd non absolueretur, sed quòd cũ vinculis Romã adiret, sicut ipse apud Timotheum gloriatur:

✠2.Tim. 2.b. ✠ Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi malè operans: sed verbũ Dei non est alligatum.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

Datus Paulus Centurioni Romam ducendus vix Cretam aduerso vento peruenit: vnde periculosam prædicens nauigationem, exeuntes vehementem patiuntur tẽpestatem, & tandem naufragium, à quo tamen sumpto cibo prædicente Paulo cuncti incolumes euaserunt.

†7.q.1.capite. Aduersitas. †2. Cor. 11.f. VT† *autem iudicatum est nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodijs Centurioni nomine Iulio, cohortis Augustæ, †ascendentes nauem Adrumetinam incipientem nauigare, circa Asiæ loca sustulimus, perseuerante nobiscum Aristar-*

Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autem die venimus Sidonem. Humanè autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere.

Post Agrippæ & Festi decretum, quo Paulus Romam ducendus erat, assumit eum Iulius Centurio cohortis Augustæ vna cum plurimis alijs vinctis. Conscendentes autem nauem Adrumetinam, nauigauerunt in duobus diebus vsque Sidonem, comitante eos Aristarcho Macedone. Quòd autem Paulum cum Centurione & militibus à Cæsarea longa nauigatione Romã mittunt Imperatoris stipendijs, arguit eos seruandæ iustitiæ fuisse studiosos. Quod dicit Paulum cum reliquis custodijs: Græcè est, καὶ τινας ἑτέρους δεσμώτας, id est, & quosdam alios vinctos, ita vt sensus sit secundum Bedam in Gloss. ord. Vt iudicatum est, siue decretum est nos nauigare in Italiam, tradiderunt Paulum & quosdam alios vinctos Centurioni. Cùm dicit: ascendentes nauem Adrumetinam exponit Raba. in Gloss. ord. id est, ad Romam nauigantem secundum quosdam: sed melius deriuatur de nomine ciuitatis Aphricæ, quæ Adrumetis dicitur. Nam Hieron. in catalogo locorum huius operis indicat Adrumetum ciuitatem esse in Bizacio regione Aphricæ. In Græcis tamen codicibus est Adramyttinam, de qua sic Vadianus: Aeolidis oppidorum celebriũ est Adramyttium, cuius conuentus quondam Adramytenus dictus est. Et Adramyttina illa nauis in Lucę Actis cap. 27. cui primùm vinctus Apostolus à Iulio Centurione Romam nauigaturo impositus fuit. At Sidon, cui primò applicuerunt, vrbs est Phœniciæ omnium maxima quondam, nunc angusta & breuis, sita iuxta mare, in pulcherrimo continentis portu, ducentis stadijs à Tyro remota, sed cum Tyro magnitudine, facie, & antiquitate contendens. Hanc Moyses Genes. 10. testatur à Sidone Chanaan filio fuisse possessam, quæ est terminus terræ promissæ versus Aquilonem, tribui Asser connumerata. In harum autem vrbium fines dicitur Christus venisse Matth. 15. Mar. 7. Sed & Paulus iã catenatus Sidoni applicuit, cùm captus Romã duceretur, vt hic patet. Feruntur Sidonij multarum artiũ inuentores, præcipuè

Adrumetum vel Adramyttium.

Sidon.

Arith-

Arithmeticæ & Astronomiæ, propter commercia & nauigationes frequentes, quæ toties à prophetis memorantur. In Sidone etiam vitrariæ officinæ quondam plurimæ fuerunt arenis Beli fluminis eò transuectis: quibus fusis terfissimum vitrum conflabatur. de quibus Plinius & Strabo. Iulius hic Paulum humaniter tractans, permisit ei amicos adire, qui illius curam gererent, & eum consolarentur afflictum à vinculis, à metu, à circunductione. *Inde cùm sustulissemus, subnauigauimus Cyprum, propterea quòd essent venti contrarij. Et pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ nauigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ: & ibi inueniens Centurio nauem Alexandrinã nauigantem in Italiam, transposuit nos in eã. Et cùm multis diebus tardè nauigaremus, & vix deuenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonẽ, & vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam, qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat ciuitas Thalassa.*

Paulò multa in deterius eueniuṁt. Effugerat hostes, incidit in pericula maris, imò incidit in naufragium. In principio autem ne directè Romam tenderet, contrariatur ventus, qui eum deiecit in Cyprum. Inde nauigantes per mare Ciliciæ & Pamphiliæ, veniunt Lystrã. Super quod dicit Beda: Pro Lystra in Græco Smirna: Hieron. verò dicit Myra. Et ita Chrysosto. scribit: Tunc Pelagus quod est inter Ciliciam & Pamphiliã emensi, peruenimus Myram: quod verisimilius est. Myra enim iuxta mare Pamphilium: Lystra verò est in Lycaonia, distante ab eo mari plusquam 40. leucis Gallicis. Iuxta Myram igitur nacti Alexandrinam nauem euntem in Italiã, importunis semper ventis tardè nauigauerunt, & vix applicuerunt Gnido. Qui portus est prouincię Cariæ pertransita Rhodo: in peninsulæ enim cornu Gnidus hodie caput Chij à nautis Italiæ dicta, & citra eam ab Austro Lorynia contra insulam Carpathum, à Borea autem Ceramus fuit Choo obuersa. Et inde soluentes vix potuerunt appellere Cretam, iuxta tamen Salmonem etiam cũ difficultate applicuerunt. Græcè verò dicitur, μόλις τὲ παραλεγόμενοι αὐτὴν, id est vix littus eius legentes, venimus in locum qui dicitur Boniportus. Vbi intellige τὸ

Gnidus.

Boniportus.

Boni-

Boniportus, non genitiui casus esse, sed recti pluralis, cùm Græcè sit, καλοὺς λιμένας, id est, vocatum boni portus pluraliter ad verbum. Neq; video cur καλὸς sit potius vertendum pulchri, quàm boni portus. Est autem Salmon Cretæ promontorium, quod Plinio & cæteris dicitur Sammonium. Præterea è latere insulæ Austrino Bonosportus, & Lasæam ciuitatem, quam Actor vocat Thalassam: ea autem littoraria est iuxta Bonosportus, inter Sammonium & Phœnicen portum. Alij pro Thalassa legunt Thessala, vt ait Erasmus. Salmon. Thalassa.

Multo autem tempore peracto, & cùm iam non esset tuta nauigatio, eo quòd ieiunium iam præteriisset, consolabatur eos Paulus, dicens eis: Viri, video quoniam cum iniuria & multo damno non solùm oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebantur.

De hoc ieiunio dicit Chryso. Ieiunium hoc opinor dici, quod Iudæi seruant. Nam post Pentecosten exierat illinc post multum tempus, ita vt in ipsa ferè hyeme venerint in partes Cretæ. Et hoc quoque non paruum miraculum, quòd illi propter hunc seruati sunt. Raba putat melius dici septimũ ieiunium, scilicet Septẽbris, in quo occisus fuerat Godolias. Quæ nõ placent Lyrano, quoniam Centurio & milites qui cum eo erant, & etiam nautæ saltem pro bona parte Gentiles erant, hæc ieiunia nõ seruant: ideo magis illi videtur ieiuniũ illud in mari fuisse, vbi propter tempestatem non vacabat nautis comedere, nisi parum, propter nauis regimen, & alijs propter timorem, propter quæ nautæ facti erant debiliores. Hæc ille. In quam opinionem multum philosophatus Erasmus tandem decidit. Atque ideo inquit, suadet Paulus manendũ, quo liceat reficere corpora. Ecce nunc inquit Oecu. vaticinatur Paulus, dicens eis quod naufragium facerent. Et licet non contigerit eis naufragium cum damno animarum iuxta ipsius sermonẽ, hoc tñ naturæ cursu euenisset, nisi Deus præseruasset. Propter ipsum enim fecit, vt illi quoq; salui essent. A tempestate autem factum est naufragium: quoniam vehemens erat procel-

la. Maius autem fuit miraculũ, quòd tali tempore è medijs seruati sint periculis & ipse Apostolus, & propter eum cæteri. Non ergo mentitus est. Hæc ille. Centurio autem artis nauigandi peritis magis credens, quàm imperitis, fidem non adhibet his quæ à Paulo dicebantur, quasi artis magis quàm fortunę sit vitare naufragiũ. *Et cùm aptus portus non esset ad hyemãdum, plurimi statuerunt consilium nauigare inde, si quo modo possent deuenientes Phœnicem hyemare, portum Cretæ respicientem ad Aphricum & ad Corum. Aspirante autem Austro, æstimãtes se propositum tenere, cùm sustulissent de Asson, legebãt Cretã. Non post multũ autẽ misit se contra ipsam vẽtus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cũq; arrepta esset nauis, & nõ posset conari in ventũ, data naue flatibus ferebamur.*

Pœnice.

Cumque locus non esset idoneus ad hybernandum, à coniectura magis quàm à peritia soluerũt inde, & fortunæ totum commiserunt, quærẽtes si quo pacto Phœnicem peruenire salui possent. Phœnix seu Phœnice, cuius hic meminit, optimus est Cretæ iuxta Bonũportum, Lasæam, & Asson locus. At cùm Phœnicen vt aptum hybernis locum ingredi constituissent, repẽtè exorto Euroaquilone arrepti, & ad insulam Candã, quam Græci dicunt Claudam, delati, cùm non daretur portus, in amplissimum pelagus adacti fuerunt, hoc vnum interim summis viribus conati, ne Aphricano littori appulsi in Breuia & Syrtes inciderẽt. Tymendum id prorsus erat, propter venti cursum, qui à latere Septẽtrionis exortus, Cretę præsertim auulsas naues rectà in oram Syrtium impellebat. Euroaquilo autẽ ventus, cuius hic meminit Euangelista, ni fallor inquit Vadianus, Cecias est, ab exortu æstiuo progressus, authore Plinio. Euro autẽ aquilo dictus, quòd à parte Boreæ Aquilonẽ, ab Aequinoctio Subsolanum, qui & Eurus est, habeat, mediusq; inter illos incedat. Cõstat aũt illũ violentũ & tempestuo sum esse: qui etiã Typhonicus dicitur, id est, tẽpestiuus, qui numeratur inter repentinos flatus, præcipuè nauigantiũ, qui nõ antẽnas modò, sed nauigia solet frãgere. *In insulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Canda, potuimus vix obtinere scapham. Qua sublata, adiuto-*

Euroaquilo.

iutorȳs vtebantur, accingentes nauem, timentes ne in Syrtim inciderent, ſummiſſo vaſe ſic ferebantur. Valida autem nobis tempeſtate iactatis, ſequenti die iactum fecerunt, & tertia die ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt.

Beda aliam tranſlationem ita manifeſtius habere dicit: Tunc tranſcurrimus inſulam quæ dicitur Canda, quã occupare non potuerunt, ſed ſcapha miſſa adiuuare cœperunt nauem, præcingentes eam. Trahebant autem & ancoras, timentes ne incurrerent in Syrtes. Ex quo patet, quòd funibus à medio nauis latere vtrique circa eiuſdem anteriora demerſis, ancoras his quæ traherentur adiunxerũt, quod fiebat ad retardandum nauigium, ne præpropero incurſu inciderent in Syrtes ſolo auditu terribiles, quia omnia rapiunt ad ſe. Hæc ille. Eſt autem ſcapha leuis nauicula ex vimine facta, crudo corio contecta, dicta Græcè σκαφὴ, à contemplando, quòd per eam nautæ vel Pyratæ terras & littus proſpiciant. Hanc ergo pro adiuuanda maiore naui cùm depoſuiſſent in mare, vix fluctu feruente potuerunt obtinere ne laberetur in profundum. Canda autem ſiue Cande inſula à Plinio & Pomponio Gandos dicitur, à Ptolemæo Claudos, vt exinde conſtet imitari conſuetudine nomina. Nã & Beda hoc loco vidiſſe ſe exemplaria teſtatur, quæ vocabulum Cande, non Claude haberent, vt & Gande dicta videri poſsit, & Claude, ſicut Gandos & Claudos. Sita autem eſt haud longè à promontorio quod contra Phycuntem Aphricæ promontorium ſpectare dicitur. Nec ea quæ naui fecerant iuuerunt eam ne periret, ſed cùm vehementiori iactarentur tempeſtate, manibus ſuis armamenta proiecerunt, & tunc maior oritur tempeſtas, & ingentes tenebræ.

Neque autem ſole, neque ſyderibus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, iam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ. Et cùm multa ieiunatio fuiſſet, tũc ſtans Paulus in medio eorũ, dixit: Oportebat quidem ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucriq́ facere iniuriã hanc & iacturam. Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe: amiſsio enim nullius animæ erit ex nobis, præterquã nauis.

†Sup.12. a.&13.b. †*Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius sum ego, et cui deseruio, dicens: Ne timeas Paulus, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigãt tecum. Propter quod bono animo estote viri, credo enim Deo, quia sic erit quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos deuenire.*

In his patet Pauli in omnibus & prosperis & aduersis alacritas. Superius enim iuxta Cretam animaduerterat seuituram in eos tempestatem, periculosamq; nauigationem, nec illi tamen crediderunt: sed neq; desijt hortari eos, vt sibi caueant magis quàm cauissent. Nunc autem grauius cernens ingraueſcere periculum, vnus omnes excitat, & tandem ad capiendum illos animum compellit. Narrat autem angelum sibi astitisse boni euentus nuncium, quod non se iactando dicebat, sed illos potius ad fidem prouocando. Nam & ideo pelagus turbari permissum est, vt & per id quod auditus non est, & per id quod auditus est, spiritalis in Paulo gratia panderetur, vt vel in posterũ credant, ex his quæ cõtigisse videbantur, quæ & à Paulo prædicta erant. Et duo inquit Chrysost. dicendo prædicit, & quòd in insulam exeundum illis erat, & quòd nauis peritura. Qui aũt in illa saluandi sint, id quod non erat coniecturę, sed prophetiæ, & quòd Cęsari assistendus esset. Quod autem dixit: Donauit tibi Deus omnes: non erat arrogantiæ, sed volentis adducere ad fidẽ nauigationis socios, nõ vt ipsi gratiam habeãt, sed vt credant his quæ ab ipso dicebantur. Quod ergo dixit angelus Paulo: Donauit tibi omnes, &c. tantundẽ est, ac si dixisset: Digni quidẽ erant qui perirẽt, quoniam inobedientes fuerant, veruntamen in tui gratiã hoc fit. Quod autẽ dixit: Oportebat quidem ô viri, audito me, non tollere à Creta. Græcè est: ἔδει μὲν ὦ ἄνδρες, πειθαρχήσαντας μοὶ μὴ ἀναγεσθαι ἀπὸ τῆς κρήτης: id est, Oportebat quidem ô viri, vos mihi obtemperasse, nec soluisse à Creta, Quod verò dicit: lucrique facere iniuriam hãc & iacturam: notat Erasmus Græcè esse κερδῆσαι, id est, accersere sine causa: id enim lucrifacere hoc loco sonat. Et ὕβριν, id est, iniuriam vocat incommoditatem cœli, & violentiam maris: & item iacturam nauis & bonorum

rum in ea existentium.

Sed posteaquam quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. Qui & summittentes bolidem, inuenerunt passus viginti, & pusillum inde separati inuenerunt passus quindecim. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittētes ancoras quatuor, optabant diem fieri, Nautis verò quærentibus fugere de naui, cùm misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prora ancoras extendere, dixit Paulus Centurioni & militibus: Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis. Tunc abscinderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.

Sciebat autem Paulus quòd acceptus non est calamitosis obiurgator, sed etiam vbi plures calamitates præterierint, fit acceptior. Igitur tunc aggreditur eos, quando omnis salutis spes adepta est: inde vtilia illis prædicere cœpit. Vt autem decimaquarta nox facta est, timuerunt, optantes diem fieri. Locum enim aduertentes, difficilem esse contendebant: per Adriam enim hæc illis contigerunt. Adriaticum vocat Ptolemæus, quod Adriam Lucas Act. 27. Nauigantibus inquit, nobis in Adria circa medium noctis, suspicabantur nautæ sibi apparere aliquā regionem. Notius autem, quàm vt memorem, id mare & Adriam dici ab oppido veteri, & Adriaticū, Ciceroni etiam Adrianum, cuius sinus ille Adriaticus, qui Venetias vsq; & Tergestū ingreditur. Et licet nox esset, existimauerūt se esse prope quandā regionē, ideo iecerūt in mare bolidē. Et Græcè dicitur: καὶ βολίσαντες εὗρον ὀργυιὰς εἴκοσι, βραχὺ δὲ διαστήσαντες, καὶ πάλιν βολίσαντες, εὗρον ὀργυιὰς δεκαπέντε: id est, & iacto in mare in perpendiculo nautico, inuenerūt passus viginti: cùm verò modico interuallo discessissent, rursum demisso perpēdiculo inuenerunt passus quindecim. Est enim ἡ βολὶς, vnde deductum verbum βολίζω, instrumentum nauticum, quo maris altitudinem nautæ explorant, quod etiam dicitur καταπαρατήρ. Quod autem interpres vertit passus, Græcè est ὀργυιάς. Est autem ὀργυιὰ non modò passus, sed & vlna, & manuum extensio, siue mensura senum pedum,

quam vulgò toiſiam appellamus. Ideo cùm mare nequaquam paſſibus vti terrā metiri ſoleamus, ſed demiſſō funē per pedes magis aut vlnas, vide ne ὀργυιὰ hoc loco ſumi poſsit pro menſura ſex pedum aut vlnarum. Cumque verò cuncti fugam quærerent, reſpondit Paulus: Niſi manſeritis in naui, naufragium euadere non poteritis: quòd tam firma eſt Dei veritas, vt pereant omnia potius neceſſe ſit, quàm illam vlla ex parte minui. Ex diſpenſatione dicebat illis Paulus, vt eos inde confunderet, & ne prophetia excideret, qua illi promiſſum fuerat per angelum, neminem ex toto cœtu periturū Decreuerat enim Deus illos virtute ſua ſeruare, non illorum induſtria: quod non contigiſſet, ſi nautæ vel milites aufugiſſent. Videbant enim ſuum conſilium, quanto iniecciſſet eos periculo: tunc verò Paulo potius, quàm ſibi credere debuerunt. Tunc milites Paulo adhærentes & illi credentes ſteterunt, & funes ſcaphæ exſcidentes, eam in mare delabi permiſerunt.

Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectātes ieiuni permanetis, nihil accipientes: propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra: quia nullius veſtrum capillus de capite peribit. Et cùm hæc dixiſſet, ſumens panem gratias egit Deo in conſpectu omnium, & cùm fregiſſet, cœpit manducare. Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt cibum. Eramus verò vniuerſæ animæ in naui ducentæ ſeptuaginta ſex. Et ſatiati cibo alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare.

At mirum videri poteſt quomodo nautæ edax hominum genus quatuordecim dies durauerint ἄσιτοι, id eſt, impaſti, niſi forte non ſumpſiſſe cibum dicuntur, qui per ocium non egerint conuiuium, quemadmodum ſolent nautæ tranquillo mari. Propterea hortatur eos ad ſalutem ſuam cibum ſumere, nempe edere, ne fame conſummamini, ſaluti veſtræ ſuccurrere eſt. Neque tamen illis cibi cura eſt, vtpote non ſinente periculo occupari circa res vulgares. In hoc enim rogabat eos aſſumere cibum, ne forte fame pereant. Et primus panem ſumens

gratias

gratias egit, quòd eos Dominus saluasset in tantis periculis, à quibus tamen nondum erepti erant, vt & alacres fierent. Quo factum est vt ipsi satiatis alleuiata est nauis. Et quantum essent plures in naui, vtpote 272. non tamen vnus eorum perijt facto nauis naufragio. Leuiores autē nihilominus triticum deiecerunt in mare. Græcè est, ἐκβαλλόμενοι ὅ σιτον ἐκβάλλομαι enim non modò simpliciter iactare significat, sed etiam leuandæ nauis causa iactum facere.

Cùm autem dies factus esset, terram non agnoscebant, sinum verò quendam considerabant habentem littus, in quē cogitabant si possent eycere nauem. Et cùm ancoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum, & leuato artemone secundum auræ flatum, tendebant ad littus. Et cùm incidissemus in locum bithalassum, impegerunt nauem, & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò soluebatur à vi maris.

Postea quam Paulus sic allocutus est eos, & ipse & cæteri comedissent, antequam dies fieret. Facto autē die huc atque illuc prospicientes terram non agnoscebant: eandem verò sinum quendam animaduertunt littus habentem, in quod cogitabant, si possent, suam immittere nauem. Sublatis igitur ancoris, laxatis gubernaculorum iuncturis, & sublato artemone, qui dicitur antemna mali, hoc est, lignum transuersum mali, in quo lignum alligatur ad auræ flatum, tendebant ad littus. Cumque incidissent in locum bithalassum, impegerunt nauem. Est autem bithalassus locus bimaris, quòd vtrinque mari alluatur, Isthmumque constituat. In eo quidem loco immobili prora fixa manebat, puppis verò à vi vndarum mouebatur.

Militum autem consilium fuit vt custodias occiderent, ne quis cùm enatasset, effugeret. Centurio autem volens seruare Paulum, prohibuit fieri, iussitq; eos qui possent natare, emittere se primos, & euadere, & ad terram exire: & cæteros alios in tabulis ferebant, quosdam super ea quæ de naui erant. Et sic factum est † vt omnes animæ euaderent ad terram.

† 7.q.1.ca no. Aduersitas.

Iterum inquit Chryſo. tentat diabolus obſiſtere prophetiæ, & volebant milites quoſdam interficere, ſed non permiſit Centurio, vt Paulum ſeruaret, adeò illum iam familiariter diligebat. Cæterum etiam per hoc alij Paulo grati facti ſunt, propter quem non permiſit eos occidi Centurio. Ita inquit Chryſoſto. mihi videntur ex confeſſo mali fuiſſe, ita vt occidere illos vellent, ſed non eſt factum, conſilio impedito. Ex quo oſtenditur quòd Paulo donati ſunt, vt Pauli impleretur prophetia. Alij itaque in tabulis efferebantur, alij ſeipſis natabant, & ſic omnes ſeruati ſunt, & Pauli prophetia impleta eſt: in quo per ſalutem ſuam præter ſpem didicerunt quis eſſet Paulus. Si autem inquit Chryſoſto. diceret quis quare non & nauim ſeruauit? Vt diſcant quale periculum euaſerint, quia non totum fiebat humano adiutorio, ſed manu Dei, quæ abſque naue ſeruauit.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Paulus cum ſocijs poſt naufragium à Barbaris humanè exceptus in inſula Melita, à vipera ſine læſione percuſſus, patrem Publij inſulæ principis ſanauit, plurimoſque olios. Vbi poſt trimeſtre alteram nactus nauem Alexandrinam Romam venit, illicque Iudæis conuocatis appellationis cauſam exponens per biennium prędicare permiſſus eſt, cum omni gaudio ab alijs exceptus.

ET cùm euaſiſſemus, tunc cognouimus quia Mitylene inſula vocabatur. Barbari verò præſtabant non modicam humanitatem nobis. Accenſa enim pyra reficiebant nos omnes, propter imbrem qui immmebat, & frigus. Cùm congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cùm proceſſiſſet, inuaſit manum eius. Vt verò viderunt Barbari pendentem beſtiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtique homicida eſt homo hic, qui cùm euaſit de mari, vltio

non

non sinit eum viuere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subitò casurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se dicebant eum esse Deum.

Explorata cum studio libero insula, nouerunt eam vocari Mitylenem, secundum alios Melitenen, secundum alios verò Militen, aut etiam Miletum: Græci verò hanc vocant Meliten, seu Melitam, nunc vulgò Maltam. Hæc est nunc à Rhodijs militibus possessa, quæ & Pauli naufragio satis nota, ferè medio pelago inter Lilybæum Siciliæ promontorium, & Cercinnam Aphricæ insulam, quæ sinui magnarum Syrtium adiacet, ponitur cum oppido eiusdem nominis. Vnde scribit hic Lucas Paulum CHRISTI Apostolum Melitam venisse, naufragumque & vinctum multa humanitate à Barbaris susceptum. Patet insula tota circuitu 60. milliа: qua latior est passuum millia 12. continet: longa passuum millia 20. Nulla in toto Adriatico mari insula distat à continenti longius: distat verò à Sicilia 60. millibus. Hanc nostris temporibus apprimè descripsit Ioan. Quintinus Heduus, inter nostræ tempestatis sanctissimorum canonum doctores eruditissimus, postquam totam insulam longis exercitationibus persuaserat, & obseruauerat: cui oculato testi magis crediderim, quàm auritis decem. Hanc diuo Paulo dicit consecratam insulam Melitam, quem ibi quondam Deum credidit cuius mira quædam tota insula priuatim ac publicè religio est. Augustinus in ea templum, vbi nunc episcopi sedes, diuo Paulo dicatum est. Nec enim (Lucæ adducti, sicuti volunt annalibus) tenacius certiúsve credunt indigenæ Petrum Romæ fuisse, quàm Paulum Melitæ, tam ex locis à Creta ad Melitam suprà descriptis, quàm ex his quæ infrà à Melita describit ad Romam. Propter vrbem spelunca est effossa introrsum rupe inquit, duabus intus aris, vbi cum vinctus Paulum tres asseruatum mènses referunt, insulanos interim varijs morbis & infirmitatibus vexatos sanantem, & ad Christum sua prædi-

Melita vel Malta.

catione vocantem. Huius autem insulæ colonos vocat hic Lucas Barbaros, non ex contemptu, sed hoc magis eos laudans, quòd tam benefici fuissent, trium scilicet mensium hospitium largiti. Paulus nec ociosus ignem socijs calefaciendis accensurus, sarmenta sumpta posuit in ignem, sub quibus latens vipera apprehendit manum illius, à qua protinus resiliens, in ignem sibijpsi pœnam infligens, quòd corpus nullo modo sibi conueniens petijsset ac oppugnasset. Hoc itaque intuiti Barbari, eum quoque qui certam mortem euaserat Deum esse ducebant, vt quibus moris erat omnem qui glorioſum opus præstaret, Deum existimare, quemadmodum etiam veteres deos nominabant, aut eos qui aliquid operarentur, quod vires ipsorum suorumque coæuorum excederet. Sic Deus quantus esset Paulus, statim declarauit, ita vt Deus crederetur, ex quo tamen à vulgo iudicatus est homicida. Vnde cogita quàm procliues & indiscreti sunt homines ad iniqua ferenda iudicia, & quàm sæpe fallantur. Expectabant igitur illi visa manu Pauli pendente vipera vt citò incenderetur, & caderet mortuus: videntes autem quia nil tale illi contigerat, nihil mali ei accidisset, mutata mente clamauerunt eum esse Deum. Vnde idem Dominus Quintinus: Insulam existimant coloni ab omni veneno liberam Pauli facto, & omnibus veneficis serpentibus esse immunem. Præterea inquit, vt hæc insula non solùm à Paulo diligi, sed ab eodem incoli & custodiri videatur, Melitæ nullum maleficum serpentis genus neque nascitur, neque nocet aliunde inuectum: sunt indigenæ quasi terrori serpentibus. Scorpiones dirum alibi animal, inter manus lasciuientium puerorum conspiciuntur innocui: quod Paulo viperam admorso pendentem digito citra noxiam excutienti ferunt acceptum. Ex eo autem antro, quo trimestri hyemauit Paulus, nullo non die per aduenas lapidum fruſtra effringuntur, quibus serpentum & scorpionum ictibus tota Aphrica & Italia, Romæ etiam palàm sese mederi affirmant: plebs gratiam S. Pauli affirmat. Hæc ille.

In

In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publij, qui nos susciptens, triduò benignè exhibuit. Contigit autem patrem Publij febribus & dysenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intrauit, & cùm orasset & imposuisset ei manus, saluauit eum. Quo facto omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant & curabantur: qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.

Chrysost. Ecce iterum alius hospitalis Publius & diues & abundantissimus, nihil de religione Christi sciés, sed ob solam calamitatem misertus illorum est, hospitioque benignè tractauit: cuius cùm pater febri ac dysenteria vexaretur, oratione præmissa, hunc Paulus sanitati restituit, dignus cui beneficeret. Ideo & pro susceptione & hospitio illam Paulus curationem retribuit. Quærit autem Beda, cur infidelem infirmũ prece saluat, qui Timotheum Trophimumq; fideles infirmos vnum curat, alterum relinquit? Nisi quòd ille per miraculum foris sanandus erat, qui interius non viuebat: hoc autem non indigebant, qui intus salubriter viuebant. Sed & Pauli vulgata fama per insulã, cæteri qui in infirmitates habebant, accedebant, & sanabantur omnes: qui etiam gratiam agnoscentes, multis eum honoribus affecerunt: sed & illi soluenti, quæ ad nauigium tum illi, tum socijs necessaria erant, liberaliter exhibuerunt. Et ita à naufragio liberati non fuerunt vsquequaque neglecti, sed etiam propter Paulum liberali hospitio susceptí, & ad tres vsque menses aliti continuos, postquam Dei virtutem in Paulo esse multis signis & virtutibus agnouerunt, imò & ipsum esse Deum clamauerunt.

Post menses autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hyemauerat: cui erat insigne Castorum. Et cùm venissemus Syracusam, mãsimus ibi triduò. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium, & post vnum diẽ flante Austro secunda die venimus Puteolos: vbi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem, & sic venimus Romam.

Perpetuò moris erat, inquit Oecu. nauibus potissimũ Ale-

Alexandrinis ad proram dextra ac sinistra huiusmodi esse picturas: in ea ergo naui depicti erant Castor & Pollux, qui à primogenito dicebantur Castores, qui Græcè dicti sunt Διόσκουροι, id est, Iouis filij. Ex quibus talem commenti sunt poëtæ fabulam. Vnde Fulgentius fingit Iouem Ledæ Tyndari regis vxoris amore captum in cygnum fuisse mutatum, & cum Leda ita concubuisse, ex quo concubitu peperit ouum, vnde nati sunt tres, Castor, Pollux, & Helena. Addit Lyranus, quòd hi duo fratres audientes sororem suam Helenam à Troiano Paride raptam, insecuti sunt per mare, & orta tempestate nunquam comparuerunt, propterea Gentiles crediderunt illos immortales esse factos, vocantq; eos maris deos, & propter hoc illorum insigne habebat illa nauis: hos insuper ad patrem ferunt in cœlum translatos, qui & signum constituunt Geminorum, tertium videlicet zodiaci signum. Vide Higinium, cæterosque si vis Astronomos, & si vacet, poëtas: & Augustin. de ciuitate Dei, libr. 18. capi. 14. Iterum Bedam in Gloss. ordi. Gemini autem Castores Castor & Pollux sunt, quos ob id Gentiles in mari deos inuocant: quia in prodigijs nautarum si solæ stellæ in naui, vel antemnis apparuerint, periculosi: si verò geminæ, prosperi cursus sunt nunciæ. Vecti igitur illa naui venerunt Syracusas, vbi triduò manserunt. In littore Siciliæ ante omnes claritate insignes Syracusæ, verè claræ ob Pauli Apostoli memoriam, quem Lucas tradit è Melita Alexandrina vectum naui, triduò Syracusis egisse. Ea verò vrbs petenda erat in Melitam iactatis, & Siculum fretum circumeundum, donec Rhegium appelleretur: hinc autem Puteolos appulerunt, à puteorum frequentia dictum locum: ad quem Paulus cùm à Rhegio soluisset, postridie aduenit, vbi repertis fratribus apud eos septẽ diebus remansit rogatus: & inde Romam tertio imperij Neronis anno peruenit.

Castor & Pollux.

Et inde cùm audissent fratres, occurrerunt nobis vsque ad Appij forum, ac tres tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. Cùm autem veniremus Romam, permissum est Paulo permanere sibimet cum

cum custodiente se milite.

Notandum autem quòd non longè ab vrbe Roma oppidulum erat Appij forum dictum, per quod Roma proficiscentibus in Campaniam iter erat. Tres tabernæ autem proximæ Appij foro erant, iuxta quas Apostolus à Romanæ Ecclesiæ fratribus quibusdam, qui de eius aduentu nuncium acceperant, exceptus est, & vel catenis grauis à Centurione in ipsam vrbem deductus est. Cui concessum est vt priuatim habitaret, addito milite à quo custodiretur. In eius autem susceptione tanta erat fratrum alacritas, vt nec turbarentur quòd Paulus esset in vinculis: nec paruum erat argumentum, quo minus admirabilis non haberetur, qui nec modò cum alijs vinctis secum adductis numeratur.

Post tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cumq; venissent, dicebat eis: Ego viri fratres, nihil aduersus legem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum. Qui cùm interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quòd nulla esset causa mortis in me. Contradicentibus autem Iudeis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. Propter hãc igitur causam rogaui vos videre, & alloqui. Propter spem enim Israël catena hac circundatus sum.

Timens Paulus ne Iudæi qui eum Ierosolymis persecuti fuerant, misissent quosdam Romam, vel literas ad Iudæos qui Romæ erant, vt Paulum dolo occiderent, ideo per triduum scisitatus est an vllæ laterent insidiæ: super quibus conscius factus, post triduum primores Iudæorum, qui Romam incolebant, conuocauit Oecume. autem quærit vnde id manifestum Paulo esse potuerit. Nacti sumus inquit, inter veterum commentaria, quonam pacto sacerdotes, qui Ierosolymam inhabitabant, vnà cum scribis ac senioribus literas exarauerint, quas ad dispersos in omnes Gentes Iudæos transmiserint, vbicunque dispersi essent, Christi doctrinam calumniantes tanquam à Deo alienam: admonuerunt autem per epistolas, ne eam susciperent. Atque idipsum

sanè

✠Isa.18.a. sanè videtur Isaiæ prophetia indicare, cùm ait: ✠Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Aethiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas. Per quod significat inquit, quod vltra Aethiopum quoque regiones, ac nouissima terræ loca sonus malitiæ eorum qui Iudæam inhabitabant, per quædam velut volitantia nauigia processerit: & eorum apostoli epistolas, papyraceas deferentes, & super aquas nauigãtes, mareq; ipsum implentes, vbiq; terrarum discurrebat, sermones de saluatore nostro calumniantes. Quorum nõ ignarus Apostolus, voluit sibi ab insidijs cauere illorũ: nõ enim curæ illi erat quòd eum accusaturi essent. Volebat siquidem & se & hostes à crimine liberare: se quidẽ, ne accusarent ipsum: illos verò, ne videatur totum esse negocium illorũ. Verisimile enim erat ait Chrysost. percrebuisse famam, quòd à Iudæis traditus esset, idque sufficiebat ad terrendum illos. Statim igitur hoc vrget, & pro seipso rationem reddit: Quoniam Romani testantur principes, quia ipsum dimittere voluerunt, nec eum contradicentibus Iudæis iustè dimittere potuerunt, opponentibus illis, vnde nullius criminis sibi conscius Cæsarem coactus est appellare. Sed nec inquit, appellare volui, quasi aliquid habeam quo gentem meam accusem, vt saltem periculum effugiam, & vincula euadam. Propter vos enim hanc catenam patior, & illa hactenus circundatus sum, tantum abest vt hostili animo in vos sim affectus.

At illi dixerunt ad eum: Nos neq; literas accepimus de te à Iudæa, neq; adueniens aliquis fratrum nunciauit aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem à te audire quæ sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia vbiq; ei contradicitur. Cùm constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensq; eis de Iesu ex lege Moysi & prophetis, à mane vsque ad vesperam. Et quidam credebant his quæ dicebantur, quidam verò non credebant.

Iudæi igitur sic sermonem ingressi sunt, quasi pro cognatis rationem reddituri. Neq; inquiunt, per literas vel nuncios accepimus aliquid mali de te, tamen de te aliquid

aliquid audire volumus, quid de hac secta noua sentias, cùm vbique ei contradicatur. Quibus nec statim respõdit, quia forsitan nimis exiguum esset auditorium, sed diem statuit, in qua quæstioni esset satisfacturus. Stata igitur die cùm frequentius adesset auditorium, cœpit illis exponere Paulus, quòd gratia præsertim Israëlitarũ, qui Romæ degebant, illuc cùm his vinculis aduenisset, vt illis Messiam tandiu expectatum apparuisse denuncia ret: id quod multis testimonijs & argumentis tam Moysi quàm prophetarum ostendit, quibus regnum Dei hactenus toties promissum, iam iam inchoatum esse, nec alterum amplius expectandum esse Messiam. Hunc autem illum esse Iesum, totiens in lege promissum, atq; in prophetis repetitum. Quibus quidẽ rationibus alij credebant, alij verò non credebant.

Cumq; inuicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo vnum verbum: Quia bene spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, dicens: † *Vade ad populum istum, & dic: Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierũt, & oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cùm hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se quæstionem.*

† Isa. 6. c. Matt. 13. b Mar. 14. b. Luc. 8. b. Ioan. 12. f. Rom. 11. b

Verùm cùm inter se discordes essent, ijs quæ dixerat Paulus adiecit verbum Isaiæ prophetę, quo spiritus sanctus illorum conditionem iandudum patribus annunciauerat: quod Paulus illis tanquam conuicium improperat, hoc malos conuicio perstringens, bonos verò confirmans. In hoc autem verbo prædicitur Iudæorum cæcitas & obduratio, tam patribus, quàm filijs & nepotibus irroganda. Dicit igitur Isaias: Aure audietis prophetias de captiuitatibus & calamitatibus vestris, & eas quæ sunt de Messia nec vos nec filij aut nepotes vestri præ scelerum immanitate credetis, nec dictis peritorum assentietis. Rationem verò subdit: quoniam incrassatum

est

est cor populi huius, id est, pinguedine obducetur & extinguetur mens eorum: auribus enim iniquissimis audient prophetias & leges meas, & non aduertent, oculos compriment, nequando videant, & reuertâtur ad me, & condonem illis peccata sua. Hanc authoritatem plus satis exposuimus suprà in Euangelistis. Concludês autem aduersus eos, inquit: Notum ergo sit vobis: Apostoli enim Dei iussu & ordinatione Gentibus euangeliũ prædicauerunt, Iudæis illud repellentibus & contradicentibus, vti suprà 13. Paulus & Barnabas illis discedêtes dixerunt: ✣ Vobis oportebat primùm loqui verbũ Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gêtes, sic enim præcepit nobis Dominus. Nam salutem hãc præsertim vobis promissam Messiæ Dominus ad vos miserat: quoniã verò nec illam curastis, nec vos ad eam susciendã præparastis, dabit Dominus eã Gentibus, quæ se præparant ad eam susciendam, ne frustrà illam miserit Dominus.

✣ Sup. 13. g.

Mansit autem biennio toto in suo conductu, & susciebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia, sine prohibitione.

Libertatem verbi narrat ampliorem in Italia, quàm in Iudæa, vtpote quia Paulus prohibitus est etiam vsq; ad vincula & proximè mortem, Romę verò nemine prohibente Dei verbum cum omni libertate prædicans per totum biennium, per quod illi cõcessum est, vt priuatim habitaret cum custode milite in humili hospitiolo, & ingredientibus regnum Dei nemine prohibente prædicaret, sed & Asiæ atque Europæ Ecclesias roboraret, quas ipse prius instituisset, aut sui cooperatores consolaretur, missis epistolis, vt gregem Domini dudum illis cõmissum ipsi custodirent, non vt solis illis, sed & toti consuleret posteritati. Non enim ferrei compedes, non custodia, non carcer Euangelicum nuncium Dei spiritu plenum remorantur, quin perdius & pernox iniunctum sibi ministerij munus summa fiducia fuerit executus. Scripsit enim ex Vrbe ad Galatas, Philippẽses, Ephesios, Hebrẽos, & Colossenses: sed & ad Timotheũ secũdam, & Phi-

& Philemonem. Ad Romanos è Corintho scripsit, ad Corinthios verò vtranq; ex Philippis: ad Thessalonicē-ses vtranq; scripsit Athenis: primam aũt ad Timotheum Laodiceæ prius scripserat. Ad Titum verò ex Nicopoli Macedoniæ scripsit. Et hęc sunt tępora quę Lucam scripsisse reperimus. Post illud aũt biennĩ scribit Eusebius Paulum conciliasse sibi Neronem, & rursum profectũ esse ad prædicationis officium, & post decennium redijsse Romã, vbi & martyrio cõsummatus est, vbi Nero ad extremum insaniæ perueniſſet. Siquidem inquit Oecume. accersito Paulo anno à passo Christo tricesimo sexto, sui verò imperij tertiodecimo & vltimo, ipsum ad martyrium adegit, capite gladio amputato. Sunt itaque à 19. Tiberij anno, secundo verò à Christo passo, cùm conuersus Paulus euangelium prædicare cœpit, vsque ad 22. eiusdem Tiberij, anni quatuor: & anni Caij similiter quatuor: rursum anni Claudij 14. quem insecutus Nero tertiodecimo sui principatus anno Apostolum interemit. Est igitur omne tempus prioris Pauli prædicationis vnus & viginti anni: & alij duo anni, quo in carcere Cæsareæ egit. Ad hos rursum duos priores anni Romæ transacti, & nouissimi decem anni, ita vt ab eius vocatione ad mortem vsque ipsius sint anni triginta quinque, qui vltimo inquit Beda, Neronis anno retẽtus ab eo martyrio coronatus est. Superaddit vnum annum Rabanus. Sciendum verò inquit, nondum roborato Neronis imperio ab eo Paulum dimissum esse, vt Euangelium in occidente prædicaret, cuius permissionis tempus decennium fuisse putatur, quando biennij illius finis in 37. anno post passionem Domini, id est, Neronis quarti completionem, incurrit 37. anno passionis Domini, id est, Neronis 14. Petrus & Paulus martyrio coronati sunt. Qui Nero 13. annis 7. mẽsibus, & 28. diebus imperasse dicitur: vnde si in fine eius imperij cæsi sunt, non dubium quin quartodecimo eius imperij anno Veruntamen Eusebius Ecclesiast. hist. lib. 2. cap. 25. dicit Petrum & Paulũ 13. Neronis anno martyrio coronatos, & sic 36. à passione Christi, & penultimo Neronis anno. Nam vt inquit, apertum se Nero hostem diuinitatis pietatisque professus est, ipsorum

prius Apostolorum (quippe qui duces & signiferi erant in populo Dei) expetit neces, & Paulum quidem capite in ipsa vrbe Roma, Petrum verò crucis patibulo condemnat. Hoc autē sub fine 13. anni Neronis, & principio 14. patet fuisse impletum. Nam vt inquit Epiphanius de vita Pauli: Post passionem Domini vicesimoquinto anno, id est, secundo Neronis, eo tempore quo Festus procurator Iudææ succesit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia aduersus Iudæos de aduentu Christi quotidie disputauit. Sciendum autem in prima satisfactione necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, vt Euangelium Christi in occidentis quoque partibus prædicaret, sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum: eo tempore quo & passus est, de vinculis dictat epistolam 2. Timoth. 4. ✠ In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, & cōfortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore leonis. Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in regnum suum cœleste: quòd scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium. In eadem enim præmiserat epistola: Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Horum autem testimonium quærere extrinsecus superfluum puto, cùm rem gestam insignia vsque in hodiernum diem & splendidissima illius monumenta testentur. Ex probatissimis nanq; scriptoribus liquet Paulum decimoquarto Neronis anno eodē die, quo Petrus Romæ, pro Christo capite truncatum, & in via Ostiensi sepultum anno post Christi passionem tricesimoseptimo, etsi nondum completo. De eo autem & Petro inquit Euseb. vbi suprà, scribit Caius quidam scriptor antiquus, qui cum Zepherino episcopo Romano aduersum proculum quendam Cataphrygam disputans, hæc de Apostolorum commemorat locis: Ego inquit, habeo trophæa Apostolorum, quę ostendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut Ostiensi, inuenies trophæa defixa, quibus ex vtraq; parte statuus Romana

✠ 2. Tim. 4. c.

mana communitur Ecclesia. Quòd autem eodem tempore passi sint, Corinthiorũ episcopus Dionysius, cùm in vrbe positus esset, & de scripturis disputaret, hoc dixit: Sed & vos commonitionẽ habentes à Petro & Paulo, plantationem Romanæ & Corinthiorum Ecclesiæ coniunxistis. Ambo etenim simul aduentantes, & in nostra Corinthiorum Ecclesia docuerunt, & per omnem Italiam: atque in hac vrbe simul docentes etiam martyrio pariter vno eodemq; tempore coronati sunt. Nam vt inquit Epiphanius, Petrus princeps Apostolorũ post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ prædicationem dispersionis eorum qui de circuncisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibiq; vigintiquinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum Neronis annum, id est, decimumquartum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum, vt sic crucifigeretur, vt Dominus suus. De Paulo autem plurima idem Euseb. eod. lib. cap. 22. quòd non eo tempore, quo Pauli actus in vrbe Roma concluſit Lucas, martyrio perfunctus est Paulus. Potuit enim inquit, fieri, vt in initijs suis adhuc leuior esset Nero, & defensionem Pauli pro nostro dogmate non aspernanter acciperet: processu verò temporis cum cæteris malis aucta sit eius etiam in Apostolos sæuitiæ rabies. Interea tamen Paulus biennio in vrbe Roma positus, verbum Dei prædicabat nemine prohibente: quem tamen affuisse sibi, & defendisse se apud Neronem, & rursum profectum esse ad prædicationis officium, sermo confirmat, & post hoc denuò redijsse ad supradictam vrbem, vbi & martyrio consummatus est. De quo & Petro Chrysost. in Genes. homil. 46. Paulus inquit, & Petrus, nónne ille quidem capite trũcatus, hic autem modo contrario quàm Dominus crucifixus ita hac vita excesit? Nónne propter hoc magis in toto mundo celebrantur & prędicantur? Atq; ex Niceno cõcilio pauca addere non indignum duxi. Adhibita enim est etiam Petro societas in eadem Romana vrbe beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis, qui vno die, vnoq;

tempore glorioſa morte cum Petro ſub principe Neronе agonizans coronatus eſt,& ambo pariter Eccleſiã ſanctam Romanã Chriſto Domino conſecrauerunt, alijsq; omnibus vrbibus in vniuerſo mundo ſua præſentia atq; venerando triumpho prætulerũt.Prima ergò ſedes cœleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ,quam beatiſsimi Apoſtoli Petrus & Paulus ſuo martyrio dedicarunt. Et rurſum Chryſ.homil.2.in Epiſtolã ad Roma.Par enim erat inquit, Paulũ qui diſputaturus eſſet cum tãta ciuitate,& ea impietatis tyrannide oppreſſa,tentationum agmen,ac veluti grandinem perferre,rem tantis periculis obnoxiã ſuſcipere,peregrinationem maritimam,tentationes,inſidias,& defectiones æquo ſubire animo. Itaque & inibi mortuus eſt, imperatoris iuſſu capite truncatus. Quòd igitur erga illos Paulus dũ viueret adeò beneuolus fuit, adeò illos amauit, coràm diſſeruit, & poſtremò apud eos vitam finiuit. Vnde & ciuitas iſta hinc facta eſt inſignis,plus quàm à reliquis omnibus.Sed & Tertullianus Apoſtolis quaſi contemporaneus non ignorauit quod neoterici ignorare omnibus viribus cupiunt. Valdenſiũ imitatores,qui nec erubeſcunt negare quod tanti & tam antiqui doctores iureiurando aſtruunt. Hic autem De præſcriptio.aduerſus hæreti.lib. Si autem inquit, Italiæ adiaces,habes Romanam vrbem, vnde nobis quoq; authoritas præſto eſt ſtatuta. Fœlix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo perfuderũt: vbi Petrus paſsioni Dominicæ adæquatur,vbi Paulus Ioannis exitu coronatur,vbi Apoſtolus Ioannes poſtea quàm in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Eadem ferè verba ſcribit beatus Ignatius Apoſtolorum diſcipulus ad Philippẽſes. Quid inquit,quod Petrus crucifixus eſt,Paulus & Iacobus gladijs obtruncati ſunt,Ioannes in Pathmon relegatus eſt : quæ ſi per ſingula enarrare tentauero, prius me deficiet dies. Hæc autem tanta dixerim propter imminentes Valdenſium & eorum ſequacium Lutheranorum, qui nec indignũ ducunt Romanum pontificem Petri & Pauli ſucceſſorem Chriſtianæ præfectum Eccleſiæ negare , & totius monarchiæ Eccleſiaſticæ caput eſſe, tanquam nulli capiti in terris ſubiici volentes. Quæ etſi à pleriſq; tantis rationibus

nibus expugnata sint, hæc tam pauca sufficiant. Multi enim nostris temporibus de primatu Petri exactius disputauerunt, vt vix superſit quæ ſcribi queant, an Petrus Romæ fuerit, qui prius in Iudæa per duodecim vel amplius annos remanſerit, & iterum Antiochiæ ſeptem annis, quæ ſi ſimul iunxeris, plures habueris annos quàm trigintaſeptem, iunctis vigintiquinq;, quibus fertur Romæ ſediſſe. Nam ſi duodecim iunxeris ſeptem, habebis decem & nouem, quibus ſi vigintiquinq; addideris, reſultabunt quadragintaquatuor. Hęc autem facilè ſolues, ſi quæ ſuperius diximus conſideraueris. Quamuis enim Petrus Ieroſolymitano concilio circa 12. à paſſione Chriſti annum interfuiſſe dicatur, non repugnat ipſum tunc Antiochiæ ſediſſe, hinc Ieroſolymam migraſſe, & ibidem in cõcilio ſediſſe, & hinc Romam petijſſe. Quid etiam Paulus per duodecim annos Romæ fecerit, cùm dicatur Romam aduentaſſe ſecundo Neronis anno, & biennio ſub cuſtodia fuiſſe, nempe per decem annos, hæc paucis ex Euſebio ſuprà ſoluimus: quia prius Paulus totam Italiam prædicando peragraſſe dicitur, & hinc ſuccreſcente Neronis malitia reuocatus, & in vltimo Neronis anno ibidem capite truncatus.

De cuius morte plurima ex Chryſoſtomo de laudibus Pauli afferre poſſemus, quæ ibidem ampliora videbis.

FINIS INTERPRETATIONVM QVATVOR EVANGELIORum & actuum Apoſtolorum.

ant. Multi e-
xactius disputant, an Petrus
ecim vel am-
æ septem an-
annos quàm
us fertur Ro-
tem, habebis
ddideris, re-
facilè solues,
Quamuis enim
. à passione
pugnat ipsum
migrasse, &
petijsse. Quid
e fecerit, cùm
onis anno, &
decém annos,
uia prius Pau-
licitur, & hinc
s, & in vlti-
runcatus.
aryso-
rre

TIONVM
IO-

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 490
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
the scale towards document